CONC. NAZ.
PROV. DIOC.
162
D
62.
BIB. NAZ. NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
D
62
NAPOLI

SYNODVS
DIOECESANA TEATINA
AB EMINENTISS. AC REVERENDISS. D.

D. ANTONIO
S. R. E. Tit. SS. Nerei, & Achillei, Presbytero
Cardinali Sanctacrucio,
Archiepiſcopo, & Comite Teatino.
Celebrata Anno Domini M. DC. XXXV.



MACERATÆ,

Apud Iulianum Carbonum. 1636. *Auctoritate Superiorum.*

ANTONIVS
S. R. E. PRESBYTER
CARDINALIS SANCTACRVCIVS
ET ARCHIEPISCOPVS TEATINVS,

Vniuerſo Eccleſiæ ſuæ Clero.

Gratia vobis, & Pax plurima à DEO.

SI feraces Horti, quos ſcilicet dilectę ſuæ Sunamitidi Sponſus Deus tradidit; primigeniam amænitatem perpetuò ſeruarent integram; nullamq; infęlicem arborem, ſed fęlices omnes retinerent: non oporteret, adeò grauem, adeòq; vigilem, Nos huiuſcemodi hortorum, vt ita dicam, colonos, in arboribus iam ſylueſcentibus, hoc eſt, populis, purgandis, nouandis, atque alio, alioq; apparatu, ab æſtu, geluq; tuendis, operam collocare. Iam verò cùm intel ligamus, nec vitalis fluuij, qui cęleſtem lętificat Hie-

ruſalem, irrigationem perennem, nec diuinæ Gratiæ, veluti patrij Cęli, ſerenitatem perpetuam hauriri: Idq; ſiue humanæ Naturæ vitio; ſiue improbo infeſti Aquilonis Spiritu. Neceſſe omninò eſt, tanti mali intercludere vias: atque adeò iugem adhibere ſolertiam, ac veluti artem, quę Populos, Nobis creditos, excolat, erigat, & obtegat, itemq; adiumenta conquirat, quæ ad Animarum incolumitatem, atque incrementa Salutis præſidio ſint.

In his primas tenent celebrationes Synodorum. longa die, & vſu ſic edocente. Quibus quidem in Synodis maior elucet Cultorum Eccleſiæ, ideſt Epiſcoporum Vigilantia, fæliciorq; laborum contentio. Etenim faciliùs prædura prauorum morum gleba proſcinditur: lætius cæleſtis irrigatio ſuſcipitur: vberiùs in omnes partes diffuſi rami, Virtutum folijs, & floſculis veſtiuntur, ac fructibus onerantur: elegantiùs pleraque Sanctitatis inuitamenta, tanquam multiplices arbuſculæ opere topiario circumquaque intexuntur: ſtabiliùs denique hac ratione Eccleſia natiuam vim ſuam, & pulchritudinem, vel tuetur, vel reſtaurat. Quam itaque proximis menſibus coëgimus Synodum; & quæ fuerunt in ea, labore tam operoſo, eodemq; apprimè vtili præſcripta, decretaq;, publicis iam mandata monumentis, vt á typis ſcilicet lucem acciperent, Vobis (dilectiſſimi,) porrigimus cuſtodienda: quippe quos in partem laborum, & in Noualis Diæceſis huius culturam, Chriſto aſpirante, adſciuimus. Vobis iam adnitendum

eſt

eſt ſingulis, & quidem ijs, qui alijs præſunt, fortitudine, & vigilantia, ſubiectis verò promptitudine animi, atque alacritate, vt nihil in abſoluta Synodi obſeruatione omittatur. Quę ad vos ipſos pertinent, adamuſſim teneatis: Quę verò ad alios, omninò ſeruanda curetis. In hoc ſtudia decertent veſtra: explicet ſeſe conſtantia; deſudet induſtria. Difficultas, & tarditas fructus, obſtinatione laboris peruincatur: nemo enim eſt neſcius; vitioſas ipſas ſtirpium qualitates tandem cultura mutari: Nos verò, & obteſtamur vos in Domino, & quantum poſſumus pro poteſtate vrgemus, vt in id incumbatis: quamquam hoc ipſum de obſequenti veſtra voluntate, ac ſedula officij diligentia, nobis planè pollicemur.

Ipſe autem Chriſtus Rex: qui quidem Dominus eſt horti huius, non tantùm ob generale totius Orbis dominium, vel ſpecialem poſſeſſionem, in cordibus fidelium adeptam, ſed etiam quia laudata illa amęnitas, & feracitas, non nobis plantantibus, & rigantibus, ſed ipſi Chriſto incrementum danti tota debetur. Ipſe, inquam, qui opus ſuum cæpit, & tanquam optimus Sator, prima conſiliorum ſemina immiſit, nos iam ſua ſata colentes, & cuſtodientes, comitante gratia ſua iuuet, atque defendat; iugemque perſeuerantiam, ac vim omnem Æternitati frugiferam conferat. Quo tandem fiat, vt ambitiosè, magnanimiterque inuitanti Sponſę; Veniat dilectus meus in hortum

tum ſuum, &c. Sponſus Deus reſpondeat; Veni in hortum meum, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum meum cum melle meo, &c.

Teate. Kal. Martij. M. DC. XXXVI.

INDEX CAPITVM

1 DE Iudicibus Synodalibus. pag. 10
2 De Examinatoribus Synodalibus. pag. 11
3 De Teſtibus Synodalibus. pag. [illegible]
4 De Profeſſione Fidei. pag. 13
5 De Librorum euulgatione, & Indice. pag. 15
6 De Doctrina Chriſtiana. pag. 17
7 De Ludi Magiſtris. pag. 21
8 De Sanctorum Imaginibus, & Reliquijs. pag. 23
9 De Feſtorum dierum obſeruatione, & cultu. pag. 26
10 De Feſtis ex Præcepto ſeruandis. pag. 32
11 De Feſtis ex deuotione, &c. pag. 36
12 De Verbi Dei prædicatione. pag. 37
13 De Quadrageſima, & Ieiunio. pag. 43
14 De Blaſphemia. pag. 46
15 De Superſtitione, & Diabolicis artibus. pag. 50
16 De Sacramentis in genere. pag. 53
17 De Sacramento Baptiſmi. pag. 56
18 De Sacramento Confirmationis. pag. 61
19 De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento. pag. 65
20 De Sacramento Pænitentiæ. pag. 69
21 De Caſibus Reſeruatis, quibus eſt annexa excommunicatio ipſo facto incurrenda. pag. 76
22 De Caſibus Reſeruatis, quibus non eſt adiecta Excommunicatio. pag. 78

23 De

23 De Sacramento Extremæ Vnctionis. pag. 80
24 De Sacramento Ordinis. pag. 83
25 De Saçramento Matrimonij. pag 89
26 De Sacramentalibus. pag. 95
27 De Celebratione Miſſarum. pag. 101
28 De Diuinis Officijs. pag. 107
29 De Eccleſijs, & Altaribus, erigendis, reparandis, &c. pag. 110
30 De Campanarum vſu. pag. 112
31 De Honore Eccleſijs habendo. pag. 114
32 De Eccleſiaſticis Beneficiis. pag. 117
33 De Parochijs. pag. 122
34 De Parochalibus Iuribus. pag. 127
35 De Sepulturis. pag. 131
36 De Canonicis, Capitulo, & Punctatore. pag. 135
37 De Seminario Clericorum. pag. 139
38 De Clericis Coniugatis, Syluaticis oblatis, & Hoſpitalarijs. pag. 143
39 De Vita, & honeſtate Clericorum in genere. pag. 144
40 De Libertate Eccleſiaſtica. pag. 153
41 De Vicarijs Foraneis. pag. 157
42 De Cõfraternitatum, aliorumq; piorum locorum Adminiſtratoribus. pag. 163
43 De Eleemoſynarum Collectoribus. pag. 173
44 De Vſurarijs. pag. 175
45 De Concubinarijs, & Cauponibus. pag. 178
46 De Sanctimonialibus. pag. 181

SESSIO

SESSIO PRIMA

Die 11. *Septembris* 1635.

CElebrato Miſſæ Sacrificio, ſolemni ſupplicatione perhabita, cæteriſq; orationibus, & cæremonijs, ad Pontificalis Rom. præſcriptum, ritè peractis initium Actioni, eiuſdem Eminentiſſimi D. Cardinalis Archiepiſcopi iuſſu, datum eſt. Secretarius proinde, nomine Sanctiſſimæ Trinitatis prius inuocato, ſequentia Decreta pronunciauit.

1 De Synodo inchoanda.
2 De Modo viuendi tempore Synodi
3 De nullo præiudicio inferendo ex ordine nominandi, aut loco ſedendi.
4 De non diſcedendo niſi Synodo abſoluta, ac benedictione recepta.
5 De Reſidentia, prout continetur in Sacro Tridentino Conc. Seſs. 6. c. 1. & Seſs. 23. c. 1. de Reformat.

INſtante poſt hæc Promotore Fiſcali, protulit Secretarius nomina Iudicum, átq; Examinatorum Synodalium.

IVDICES SYNODALES.

ADmodum R. D. Antonius Valignanus Canon. & Archidiaconus. V.I. D.
R. D. Camillus de Turre Canon.
R. D. Iuſtinus Adrianus Canon. Theologalis S. Theol. D.
R. D. Marcus Antonius Mitianus Canon. V.I.D.
R. D. Ioannes Toppius Canon. Pænitentiarius S. Theol. D.
R. D. Lucas Andreas Ramignanus Canon.
R. D. Nicolaus Landus Canon.
R. D. Annibal de Liberatore Canon. V. I. D.
R. D. Marcus Paulutius Canon.
R. D. Fabius Buccillus Canon
R. D. Fabritius Muccius Canon. V. I. D.
R. D. Thomas de Michàele Canon. V. I. D.
R. D. Iuſtinus Comes Antonius Can. S. Theol. D.
D. Iacobus Deletta V. I. D. Prothonot. Apoſt.
D. Tutius Chriſtius Archipresbyter Vaſti-Aymonis Teatinæ Diæceſis V. I. D. & Protonotarius Apoſtolicus.

Examina-

EXAMINATORES SYNODALES.

Admodum R. D. Antonius Valignanus Canon. Archidiaconus V. I. D.

R. D. Iuſtinus Adrianus Canon. Theologalis S. Theologiæ Doctor.

R. D. Marcus Antonius Mitianus Canon. V. I. D.

R. D. Fabritius Muccius Canon. V. I. D.

R. D. Iuſtinus Comes Antonius Can. S. Theol D.

D. Andreas Buccius V. I. D. Abbas Aaramanici Teatinæ Diœceſis.

P. D. Ioannes Gentileſcus, Abbas Monaſterij Teatini Congreg. Cęleſtinorum

P. F. Ioſephus Fantinus Prior Conuentus Teatini Ord. Eremitarum S. Auguſtini.

P. Thomas de Franchis Rector Collegij Teatini Societatis Ieſù.

P. F. Magiſter Franciſcus Thomeus Guardianus Conuentus Teat. Minor. Conuent.

P. F. Filippus Paulinus Ord. Præd

P. F. Benedictus de Amone Ord. Minor. de Obſer.

FVerunt electi, ſed iuſtis de cauſis non euulgantur.

Tum nominati ſunt Omnes, qui Synodo intereſſe debebant: & contra contumaces, inſtante Promotore Fiſcali, fuit pœnarum executio promulgata.

Lecta demum fuit Conſtitutio Concil. Trid. ſeſs. 25. c. 2. de Reformat. de Profeſſione Fidei: Et iuxta formam fel. record. Pij IV fuit ea emiſſa ab ijs omnibus, qui prçteritæ Synodo non interfuerunt. Atq; ita abſoluta fuit Seſſio hçc prima; & in dicta altera in ſequentem diem.

SESSIO II.

PEractis reliquis de more, peruulgata fuerunt ſequentia per ordinem Decreta.

CAP. I.

CAP. I.

DE PROFESSIONE FIDEI.

§ 1 QVoniam animaduertimus, in Sacrorum Conciliorum more, inſtitutoq; Patrum Eccleſiæ poſitum eſſe; vt actionum Synodalium initia, à ſanctæ orthodoxæq; fidei Confeſſione ducantur: videlicèt tanquam à profeſſione eius rei, quæ ſcutum eſt, & galea ſalutis contra tela nequiſſimi, ac fundamentum firmum, & vnicum; ſine quo nihil ſanctum, Deoq; carum, nihil viuum, & conſtans, nihilq; quod Poteſtatum incurſu tenebrarum inconcuſſum, atq; infractum permaneat. Nos proinde, eorum exempla ſequuti, eiuſdem Sanctæ Fidei profeſſionem, ab vniuerſis, qui ad hanc ſacram Synodum (& quidem nunc primùm) conuenerunt, voluimus, præmitti.

Initium faciendum à Profeſſione fidei.

Ex Matth. 16. D. Leo. Serm. 4. de Natiuit. Chriſti.

Cõc. Trid. Seſſ 25. cap 2. de refor.

§ 2 Et in futurum præcipimus, vt Prouiſi de Beneficijs quibuſcunq; curam Animarum habentibus, intra duos Menſes à die poſſeſſionis adeptæ, in manibus noſtris; vel Nobis impeditis, coram noſtro Vicario Generali, Catholicæ fidei profeſſionem emittant, iuxta ſupra inſinuatam formam; ſpondentes etiam, ac iurantes, ſe in

Eãdem faciant Curati.

In Bull. Pij IV. ſuper form. profeſſ. fid.

Quãdo facienda in Capitulo. *Seſſ. 24. cap. 12.*

ſe in Romanæ Eccleſiæ obedientia permanſuros. Prouiſi autem de Canonicatibus, & Dignitatibus in Eccleſia noſtra Cathedrali, non ſolùm coram Nobis, ſeù noſtro Generali Vicario, ſed etiam in capitulo idem omninò faciant, prout facere omnino tenentur præcepto Concilij Trident. Alioquin ad reſtitutionem fructuum; quos quidem non fecerunt ſuos; poſſeſſione minimè ſuffragante, cogemus.

Eandem emittãt Pręceptores.

§ 3 Similiter, vt eiuſdem Sanctæ fidei puritas in doctrinis tradendis, & conſeruetur, & foueatur, Nemo imposterum ſiue Clericus, ſiue laicus publicè, vel priuatim in Ciuitate, vel Diœceſi Artium liberalium Magiſtrum, ſeù Præceptorem agat, aut lectiones habeat, & exerceat: niſi emiſſa, vt ſupra eadem fidei profeſſione.

Parochi deferant contumaces. *Pius IV in Bull. incip. In Sacroſancta.*

Quapropter mandamus Parochis, vt ſi quem docentem aduertant, qui huic obligationi non ſatisfecerit; ad Nos eum, vtiq; ſeuerè, ſecundum Pij IV. præſcriptum puniendum, deferant.

Deſcribantur in libro apud Cãcellariũ

§ 4 Noſter itaq; Cancellarius in certum aliquem librum nomina eorum referat, qui dictam fidei profeſſionem emiſerint: adiecto etiam loco, Anno, Menſe, die, & cuius in manibus eam emiſerint, vt ita res ſemper liquidò conſtare poſſit.

CAP. II.

CAP. II
DE LIBRORVM EVVLGATIONE, ET INDICE.

§ 1 VT planè, atq; omninò periculis, in quæ, & quidem maxima, noxionem euulgatio librorum, cõtra rectã fidẽ, vel ſanè Pietatem, Chriſtianoſq; mores conſueuit adducere; quantum in Nobis eſt, occurramus; edicimus ſub pœnis in Lateranẽ Concilio conſtitutis, vt nemo librum, etiam aliàs ritè editum, ſcripta cuiuſuis generis, etiam problemata, ſeu Concluſiones, & ſimilia, abſq; noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis licentia inſcriptis, imprimat. — *Libri non imprimẽdi abſq; licentia.* — *Sub Leone X.*

§ 2 Interdictum pariter ſit, libros, & cœtera vt ſupra, ſine Aucthoris, & Impreſſoris nomine, multoq; magis, ementito, euulgari; ſub pœnis eiuſdem Concilij, innouatis per Tridentinum. — *Apponantur nomina.*

§ 3 Nullus autem Bibliopola libros exponat venales, niſi confecto priùs illorum Indice, & à Nobis, aut noſtro Vicario Generali ſubſcripto, nec alium librum tradat, aut vendat, aut etiam habeat, ſine prædicta noſtra licentia, ſub pœnis regulæ 10. Indicis. — *Librarij ne exponant libros niſi cũ licẽtia.* — *Regula X. Indicis.*

§ 4 Iiſdem etiam Bibliopolis mandamus, vt — *Iidem teneãt expoſitum Indi*

loco

cem librorum prohibitorũ. loco patenti, & conſpicuo, ad omnium commodum, in ſuis Officinis, Indicem Librorum prohibitorum, nouiſſimè digeſtum, appenſum teneant: vt tenere apud ſe Impreſſores etiam debent. At certè quiſq; Curatus, Theologiæ, aut Iuris Doctor, & Phyſicus eodem Indice carere non debet, vt improbata volumina è proprijs, alieniſq; manibus facile poſſit excutere.

A quonam interdum viſitari debeant. § 5 Procuratoris noſtri Fiſcalis in Ciuitate, & Parochorum in Diœceſi in hac re partes erunt, in vim huius noſtræ deputationis; Bibliothecas, alioſq; etiam omnes libros, qui circumferuntur venales, improuisò viſitare; & ad Nos referre, ſi prohibitum librum in illis repererint, vel de permiſſis licentiam, vt ſupra, non obtinuerint.

Pœnæ cõtra legẽtes aut detinẽtes libros prohibitos *Regula X. Indicis.* § 6 Omnibus autem reuocamus in mentem præceptum, ne contra regulas Indicis, libri legantur, aut habeantur. Si quis verò legerit, vel habuerit Hæretici alicuius, vel cuiuſuis Auchoris, ob hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnatos, atq; prohibitos libros, ſeu ſcripta, incidet ipſo facto in ſententiam Excommunicationis. Et ij, qui libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, & mortaliter peccabunt, & noſtro iudicio ſeuerè punientur.

CAP. III.

CAP. III.
DE DOCTRINA CHRISTIANA.

§ 1 CHriſtiana Plebs, quaſi viator ille, quem Lucas tradit, ſemianimem in via repertum, quot vulneribus peccatorum, ob ignorantiam myſteriorum Regni cœleſtis, ac viarum Domini conficitur, & extabeſcit; totidem poſtulationibus negligentiam Paſtorum in iudicium, ac diſcrimen accerſit. Paſtores enim animarum, Deus tanquam teſtes veritatis dedit populis, & Duces, ac Præceptores gentibus: & tamen plurimi (Paſtorum vtique culpa) etiam num ſunt, qui Trinitatis, Incarnationis, ac Redemptionis Chriſti myſteria neſciant, ſymbolum non intelligant, legem Domini ignorent. Quapropter ſi ob ignorantiam, ſimplices pereunt, & damnantur; multò certè magis damnabuntur Parochi, qui docere illos noluerunt, aut neglexerunt.

Neceſſitas Chriſtianę inſtitutionis.
Luc. 10.
Iſai. 55.

§ 2 Quod igitur præcepit Concil. Trid. in praxim deduci mandamus; vt Parochi ſaltem Dominicis diebus, inſtituendos, atque excolendos catechiſmo pueros, Plebem, & rudes, ſtudiosè, diligenterque ſuſcipiant. Certi, munus hoc,

Pręcipitur Parochis: Trident. Seſſ. 24 cap 4. & 6.

1 Corinth. 14. 19. non niſi primæuum in Eccleſia, ac planè Apoſtolicum eſſe: quippe cum Apoſtolorum conciones ferè catecheſes tantùm fuerint, atque initiamenta Chriſtianæ Religionis.

Detur ſignum. § 3 Detur ad id peculiare Campanæ ſignum; præmonito priùs, & ſæpe aliàs Populo, vt illo audito, ad huiuſmodi Sacram inſtitutionem accurrant. Explicentur nonnunquam Indulgentiæ; quas Summi Pontifices ſodalitati Doctrinæ Chriſtianæ elargiti ſunt; vt non ſolum excitentur ad frequentiam; ſed etiam ad erigendam indicatã ſodalitatẽ: cuius inſtitutũ explicabitur in ſeparata Inſtructione, de modo docendi Chriſtianã Doctrinã, quam in gratiam Parochorum, & huiuſmodi ſodalitatis, confici iuſſimus.

Explicentur Indulgentiæ. *Indulgen. Pauli V.*

Induſtriæ ad colligẽdũ Pueros. *Ex Cõcil. Mediolan.* § 4 Præmittatur etiam Clericus, ſuperpelliceo indutus: qui totam parochiam obeat, & ſono tintinnabuli omnes aduocet, & ad Eccleſiam adducat, prȩſertim pueros, & otioſos. Quod ſi huius Clerici induſtria non ſufficiet, ipſi Parochi exeant in vicos, & plateas, & compellant huiuſmodi cæcos, & debiles, & claudos intrare ad cœnam verbi Dei, ac Regis ȩterni. *Luc. 14.*

Reprehenduntur Negligentes. § 5 Dedita opera opportunitatem frequenter capiant denunciandi ſeriò vltionem, & pœnas, tùm quas prȩſcripſere Concilia, prȩſertim Tri-

dentinum (ſeſſ. 24 c 4.) tùm quas Deus ipſe inſtituit contra eos, qui Chriſtianas præceptiones diſcere negligunt; & eos qui impedimento ſunt ſuis filijs, & famulis, reliquiſque de familia, quominus eaſdem addiſcant, vel ad addiſcendas accurrant. Seſſ. 24. cap. 4.

§. 6 Propterea neminẽ ad matrimonium, vel ad Cõpaternitatẽ in Baptiſmo, & Cõfirmatione, admittãt; quẽ, ignorare Chriſtiana rudimenta, repererint; ideſt Orationẽ Dominicã, Salutationẽ Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Præcepta & ſimilia; nec iſtorum ſaltem ſubſtantiam intelligere. In Sacramento autem Pœnitentiæ diligenter omnes Confeſſarij aduertant, an huiuſmodi ignorantium hominum Confeſſiones debeant excipere; quippe qui nunquam ſuæ obligationi ſub præcepto de addiſcendis rebus fidei, ſatisfecerint; ac proinde non ſint capaces abſolutionis. Quos verò viderint ſcire, ſed imperfectè; hortentur ad progreſſum, iniungant pro pœnitentia, vt aliquid vlterius addiſcant, condictoq; ſic repetant: & his ſimilibus medijs inſtitutionem pœnitentium promoueant. Qui ignorãt neceſſaria, non admittẽdi ad Sacramenta.

§ 7 Non omittant Parochi, eoſdem rudes Homines, ac pueros tùm pijs imaginibus, alijſue deuotis munuſculis, tùm commendatione quan- Ratio tradendi Doctrinã Chriſtianã.

doq; ac laude, omniq; beneuolentię in Domino ſignificatione, ad huiuſmodi ſcholas catechiſmi allicere. De modis autem Scholarum, & circulis faciendis pro vario diſcentium profectu, dicetur particulatim in ſeparata inſtructione. Vtantur ordinariè pręſertim pro rudioribus, atq; incipientibus, Doctrina Chriſtiana P. Ledeſmę, vt potè contractiori, ac faciliori.

Reliqui de Clero adiuuent Parochum.

§ 8 A Diaconis Subdiaconis, cœteriſq; Clericis, immò, & ab alijs Sacerdotibus ſuę Parochię, per vices, requirant Parochi, quatenus opus fuerit, aut expedire iudicauerint, auxiliarem operam. Volumus enim, & illos in hoc tam pio exercitio occupari, qua propter cum de illis promouendis ad ſuperiores ordines agetur, exiberi, neceſſe erit, teſtimonium etiam Parochi, quod ipſum (requiſiti) in hoc opere adiuuerint. Interim ſi quis obedire detractauerit, ſtatim ad Nos deferatur; vt grauiter poſſimus, ſicuti par eſt, in illum animaduertere.

Inf. cap. 17 de Sac. Ordinis.

CAP. IV.

CAP. IV.
DE LVDIMAGISTRIS.

§ 1 IN Ijs rebus, quibus maximè Chriſtiana res, & fulcitur, & promouetur, vna eſt; ſi Diſciplinę quęcunq; ea fidelitate, atque induſtria tenerę Iuuentuti (quę ſemen quoddam eſt futurę Reip.) tradantur, qua fieret, vt ex illis poſſent ad Creatoris Dei, ac Redemptoris noſtri cognitionem, & amorem, fidei verò, & virtutis propugnationem ſtudioſè excitari. Propterea omni ſtudio curandum Nobis putamus, vt ij, quibus hoc munus permitti, vel demandari debet, non litterarum ſolùm, verum etiam animi, ac virtutis poſſint eſſe Magiſtri. Quãti momenti Officij ſit.

§ 2 Nemo igitur publicè, ſiuè priuatim, in Ciuitate, vel in Diœceſi munus docendi quancunq; facultatem audeat ſuſcipere; niſi fuerit Nobis, vel noſtro Generali Vicario, præuia ſcilicet informatione, probatus. Idque ſub pœnis, quas Pius IV. ſua conſtitutione ſanciuit. Nemo doceat niſi approbatus. *Pius* IV.

§ 3 Qui igitur ad hoc munus fuerint admiſſi, ea, quę Leo X. in Lateranen. Concilio conſtituit, obſeruare ſtudeant, vt non intelligentiam tantum rerum tradant, ſed probitatem etiam, eaq; Incumbẽdum in res ſpirituales.

omnia,

omnia, quę ad Chriſtianam Religionem pertinent, vt ſunt Pręcepta Diuina, Articuli fidei, & huiuſmodi alia Adoleſcentes perdoceant. Pręterea ſingulis Sabbatis memoriter Doctrina Chriſtana recitetur: de timore Domini, fuga peccatorum, obedientia Maioribus pręſtanda, & ſimilibus, ſermo habeatur. Quotidie rei ſacrę faciant, eos intereſſe, feſtis item diebus, concionibus quoque atq; alijs Diuinis Officijs; iiſdem diebus feſtis à Doctrina Chriſtiana, & ſingulis ſaltem Menſibus à Confeſſionis Sacramento nunquam abeſſe permittant.

Miſſa, Cõcio, Cõfeſſio, Doctrina Chriſtiana.

§ 4 Oratio breuis ante Scolæ initium, & ſimiliter in fine dicatur ad id inſtituta: in aliquo autem Gymnaſij loco patentiori, ac decenti pia, & deuota Imaginis Tabella habeatur appenſa.

Oratio in principio, & in fine.

§ 5 Nullo tamen modo noxios Pueris libros interpretentur, quales ſunt, non ſolum ij, qui in Indice prohibentur, verum etiam ij, qui obſcęnitate, & turpitudine reſperſi ſunt, & non emendati (vt eſt Terentius, &c.) & cum veteres Auctores Ethnicos à ſupradictis purgatos explicant; impia in quę incident, ſemper damnent, & omnia ad rectam diſciplinam, ac pietatem conuertere ſtudeant. Id ſemper pręoculis habentes, quod ſuę partes ſunt teneras Adoleſcentium

Qui libri vitandi.

tium

tium mentes obſequio, & amore Dei, ac virtutibus præparare, & ad optimam frugem perducere. Et inſuper ſæpe cogitent quàm acritèr vindicabit in magiſtris Deus prauos adoleſcentiæ mores, & inchoata, tàm flexilis ætatis vitia.

§ 6 Parochis curam hanc committimus, vt ſæpe gymnaſia per Annum viſitantes, inſpiciant; num quæ hic præſcripta ſunt, vberemque fructum editura ſperantur, obſeruentur: & quod neglectum compererint nobis illicò denuncient. Quid in hac re faciant Parochi.

CAP. V.

DE SANCTORVM IMAGINIBVS, ET RELIQVIIS.

§ 1 NON leue in Chriſtianorum officijs pondus, ac momentum habet, Imaginum, Reliqiarumq; Sanctorum, ac ſimilium rerum Canonica expoſitio, & decens, piuſq; vſus. Primum quoniam inde excitatur cuiuſq; Animus ad perpendendum prototyporum maieſtatem, & gloriam; aut certè fidem, & opera, quibus Chriſto Beati ſociantur in Cœlo. Deinde vt eoſdem Sanctos; vt pote gratia Qua reuerentia tractandæ.

apud Deum, & fauore pollentes; intenta ſupplicatione propitient: quando præſentes quidem Deo, faciliùs Nobis, quod poſtulant, impetrabunt.

Imagines qualiter pingendę. *Cõc. Trid. Seſſ. 25. princ.*

§ 2 Qua propter primum omnium, ne Imagines à dignitate, ac Sanctitate eorum abhorreant, quos repræſentant; conuenit, vt nihil inordinatum, aut falſum, aut profanum, nullum item erroris periculum, nihil demum laſciuum contineant, ac proinde procaci quadam venuſtate non pingantur, qua poſſint oculi hominum; menteſq; offendi.

Nouæ, & inuſitatæ.

§ 3 Quod vt fidelius ſeruetur, nemini liceat, ſacro vllo in loco, aut Eccleſia, etiam exempta, inſolitam aliquam Imaginem collocare; niſi quæ nobis probata fuerit. Parochis verò nominatim inculcamus ſub pęnis arbitrio noſtro, vt in ſuis Eccleſijs, & altaribus nullo modo patiantur, nouam, & inſolitam imaginem, alicuius etiam laude digniſſimi hominis defuncti; qui non ſit in Sanctos, vel Beatos per Sanctam Sedem Apoſtolicam relatus, exponi.

Profanę.

§ 4 Profanæ Imagines, ſeù Tabulæ non adhibeantur, ornatus gratia in Templis, cùm ſolemnitates celebrantur: Similiter neque in Plateis, ac Vijs; cum in feſto Corporis Domini ſolemnes

proceſ-

proceſſiones habentur. Ideo in dicto feſto præmittant Parochi benè antè tempus Clericum aliquem, qui totam Paræciam obeat; & vbi minus decentia viderit expoſita, auferenda curet: vel ſi parere noluerint, ad Parochum deferat, vt tunc ipſe ſuam interponat auctoritatem.

§ 5 Porro vt non ſolum ex ipſa Imagine, ſed etiam ex illius ornatu foueatur potius, quàm deferueſcat Pietas: Mandamus, vt Coronides, & ornamenta lapidea, vel lignea, vel gypſo arte plaſtica circum Imagines obducta, minimè permittantur, ſi procaces, fabuloſaſq; sirénes, aut humana deformiter ficta capita (Vulgo maſcarones) præſeferant. *Ornatus imaginum qualis.*

§ 6 Icones autem, atque Imagines penè conſumptæ, ac deletæ, vel etiam Statuæ vetuſtatæ corroſæ; quę pietatem amplius ingerere nequeunt; remoueantur ab Eccleſijs, & Altaribus: & ſub pauimento, vel in cæmeterio, Nobis tamen prius conſultis, collocentur. *Conſúptę, vel corroſæ vbi reponendæ.*

§ 7 Curent inſuper quàm maximè Parochi, vt quiſque Parochianus domi ſuæ ſacram aliquam effigiem decenter conſtituat. Moneant negligentes, magnòq; arguant opere, itemquè minentur, ſe deinceps non acceſſuros ad benedicendā Domum, & ſimilia; niſi prius in hac re paruerint *Vſus domi habendi Imaginem.*

rint.

Reliquiæ nouę recognoſcẽdæ. *Trident. Seſſ.25 decreto de inuoc.& venerat & reliq. &c.*

§ 8 Reliquiæ Martyrum, aliorumq; Sanctorum cum Chriſto viuentium, ſicut ſummo ſtudio ſunt à fidelibus venerandæ; tanquam Sancta corpora, quæ viua membra Chriſti fuerunt, & Spiritus Sancti templa, ad æternam, glorioſamq; vitam ſuſcitanda: ita etiam, vt nullus irrepere poſſit abuſus; nullæ nouæ Reliquiæ recipiendæ, & exponendæ deinceps erunt; niſi quæ fuerint à Nobis recognitæ, & approbatæ.

Licẽtia petenda pro repręſentationibus.

§ 9 Repręſentationes Martyriorum, vel Paſſionis Chriſti Domini, etiam in proceſſionibus, ſine noſtra licentia nequaquam fiant; ne quę maximè ad Religionem pertinent, deriſui, atq; offenſioni deſeruire, contingat.

CAP. VI.

DE FESTORVM DIERVM OBSERVATIONE, ET CVLTV.

§ 1 PRæclara Religionis decora, & Chriſtianæ Pietatis exercitationes ſunt ſacrorum dierum obſeruationes, & cultus. Vnde

Sancta

Sanċta Mater Eccleſia pro poteſtate, qua prædita eſt, ſuis in hac re legibus obligandi fideles, quęnam per annum feſta ſeruari debeant, quòue modo, præſcripſit. Et Catalogum quidem illorum inferiùs ſubijciemus: modus autem iam conſtat, nimirum, & vt rei Diuinæ interſint, & vt à ſeruilibus operibus abſtineant. Quoniam verò maximè ſeruilia opera ſunt Peccata, quibus ſeruum ſe homo exhibet Diabolo ad mortem; maximè, diċtis diebus decet, ſtudioſiùs ab illis abſtinere, & quæ admiſſa ſunt, confeſſione deponere. Modus celebrādi feſtos dies. *Ad Roman. 6.*

§ 2 Nos autem pro muneris noſtri ratione, cupientes aliquos in hac parte abuſus abolere, Animarum Reċtores primùm monemus, ipſorum in primis eſſe, ſedulò, ac vehementer populum ſæpe exhortari, atq; excitare, vt totos, integroſq; dies feſtos præſcriptos peragant maxima qua poterunt religione, & pietate: tanquam dies videlicet, præcipuo Dei cultui, venerationi, & Animorum culturæ dicatos; non verò ludis, otio, comeſſationibus, ebrietatibus, diuiniſq; demum offenſis (prout à tenebrarum filijs vſurpantur) deſtinatos. Quare tempus, quod à Miſſa ſupereſt, impendendum doceat, in Concionibus, & Chriſtianæ Doċtrinæ expli- Monitio ad Parochos.

cationibus audiendis, & in alijs laudabilibus operibus, videlicèt viſitationibus Infirmorum, ac publicarum Cuſtodiarum, &c. faciendis.

Seruilia, & Officinę.

§ 3 Inuigilent deinde tum ipſi Parochi in Diœceſi, tum Procurator noſter fiſcalis in hac Ciuitate, ne dictis diebus opera ſeruilia vllo modo exerceantur: Atq; adeo nec Officinæ venalium rerum apertæ habeantur. Ea verò, quæ ad diurnum victum neceſſaria ſunt, vel ad Ægrotorũ curationem, paruo aliquo tantùm oſtiolo aperto vendi, emiq; poterunt. Reliquæ vero ſint vſquequaque clauſæ: ſub pœnis in noſtro edicto contentis. Et in ijs quidem potiſſimum Tonſtrinæ: quippe cùm nullo pacto permiſſum tonſoribus velimus; vt caput, barbamue vllius, feſtis diebus tondeant. Sciantq; impoſterum, Dominos pro Seruis, Parentes pro Filijs, Artifices pro Miniſtris transgreſſoribus, pœnarum in hoc genere Reos fore iudicandos, ac puniendos.

Sac.Cong. 16. Aug. 1593 Andria, & 15 Februar. 1595. monopolitan.

Spectacula

§ 4 Spectacula ludicra circulatorum, Comœdiæ, & ſimilia feſtis diebus nequaquam permittantur fieri, nec ſub medicamenti quidem prætextu, præſertim verò prę foribus, in Plateiſq; Eccleſiarum, tempore, quo celebrantur Diuina officia; ſub pœnis noſtro arbitrio imponendis: ne ſcilicèt Populus, vanitate illectus, à Diuinis

rebus

rebus retrahatur; aut clamor impedimento ſit ſacris.

§ 5 Quo in genere nominatim luctationes, ludi clamoſi, Æquorum curſus ad braũia, & ſimilia, prohibentur fieri tempore Diuinorum Officiorum. Porrò iſtiuſmodi expenſę nullo modo poſt hac volumus fieri de bonis Eccleſiaſticis, ſcilicèt de bonis Eccleſiarum, Confraternitatum, aliorumue locorum piorum, etiã eleemoſynaliter corrogatis; ſub pœnis inferiùs conſtituendis.

Luctæ Brauia, &c. non debēt fieri de bonis Eccleſiæ.

Cap. de Cõfraternitatibus infr. ſeſſ. 3.

§ 6 Vectoribus tamen Iumentorum cœptum proſequi iter, permittitur: modò ſcilicet Diuino Sacrificio intereſſe non omittant. Minimè verò poterunt illud de nouo incipere, ac Iumenta oneribus ſubijcere.

Vectores.

§ 7 Et iuxta Sacrorum Canonum pręſcripta, ſub illorum pœnis, pręcipimus vlteriùs, vt nullo pacto feſtis diebus celebrentur contractus (Pro hominibus autem qui in agris verſantur, de facili concedetur licentia) nec non vt ceſſent omninò Iudiciales ſtrepitus: atq; etiam iuramenti delatio, niſi deferretur pro pace, & neceſſitate. Similiter examen teſtium, licet feriali die iurauerint. Denique pro nulla ciuili exactione, poſſit in bonis, aut in perſona, realis, aut perſonalis

Cõtractus. Iudicia. Teſtimonia, Exequutiones.

Cap omnes de ferijs, & cap. cõqueſtus eod.

ſonalis exequutio fieri. Valde enim dedecet, vt dum ad Deum accurritur, ab hominibus timeatur.

Licētia cū cauſa. Cap. licet, & cap. cōqueſtus de ferijs. Cong. Cōc. 12. Martij 1601. Conceda-tur à Vicariis. Sac. Cong. 18. Nouēbr. 1592. pro Archiep. Materan.

§ 8 Quoniam verò quibuſdam temporibus cauſa ſubeſt, propter quam conueniat, licentiam, vt operę, ac labores obeantur concedere, videlicèt tempore vindemiarum, ac meſſium, & recollectionis fructuum; vel vbi neceſſitas vrget, & pietas ſuadet: Cumq; ad Ordinarium ipſum, & ad alium pręterea neminem, legitimę cauſę cognitio, ac iudicium pertineat: Nos Vicarijs foraneis delegamus facultatem dandi huiuſmodi licentiam (gratis) in caſibus iam ſignificatis: Curatis verò non niſi ipſis Vicarijs foraneijs abſentibus.

Viduę poſt obitum Virorum.

§ 9 Viduis ob recentem Virorum ſuorum obitum nequaquam licere, cenſendum deinceps erit, præſertim ad tam longum tempus (quod conſuetudo obtinebat) Miſſas diebus feſtis non audire. Quare admonendę poſthac erunt obligationis huius pręcepti. Dedecet enim Chriſtifideles propter coniunctorum obitum ita contriſtari, vt monet Apoſtolus, ſicut, & cæteri qui ſpem non habent.

D. Paul. 1. ad Theſſal. 4.

Puellæ ducantur ad audiēdum Sacrum.

§ 10 Morem autem, ac Conſuetudinem, vt puellę, domi ea lege contineantur, vt ad Eccle-

ſiam

ſiam nequaquam ſe conferant; atq; adeò Miſſæ ſacrificio ſacris diebus interſint, vigere hic communiter, non ſine magno animi noſtri dolore accepimus; tanquam morem videlicet, quem non niſi Parentum, Tutorum, aliorumue, ad quos cura Puellarum ſpectat, Auaritia, vel Negligentia, vel aliqua alia omninò improba ratio, ſeù potius Hoſtis humani generis callida machinatio peperit, ac fouet in ingens illarum damnum, & intollerabilem huius pręcepti neglectum. Quapropter re diligenter perpenſa, ac communicato conſilio, pręſens decretum promulgandum duximus. Parentes, Tutores, ſeù quicunq; alij, qui puellarum curam gerunt, ſi illis impedimento fuerint, vel re ipſa non effecerint, vt diebus feſtis dictę puellę ad Eccleſiam ſe conferant, vt rei Diuinę intereſſe poſſint; mortaliter peccent. Huius autem peccati abſolutio à nullo Confeſſario poſſit impendi, niſi hac tantùm obligatione ſuſcepta, vt pro ſingulis Miſſis de pręcepto non auditis, vnam Miſſam, nullo alio pręcepto debitam, ſaltem infra Menſem audire, dictas puellas compellant. Verùm ſi elapſo Menſe obligationi huic non ſatisfecerint; iterum lethalis culpę rei eſſe cenſeantur, tanquam huius noſtri pręcepti violatores; & ab-

Pœna contra Parentes, Tutores, &c.

ſolu-

ſolutionis beneficium nullo pacto eis conferatur; quoniam Nobis omninò reſeruamus. Conſuetudinem porrò in contrarium prętenſam, tanquam corruptelam, Pręcepto Eccleſię contrariam, irrationabilem, ipſiſq; puellis damnoſam improbamus, atq; irritam declaramus.

Abrogatur cõſuetudo in cõtrarium.

Sed eosdem Parentes, Tutores, &c. in Domino hortamur; vt illas ad Eccleſiam deducant, vel tranſmittant, non ſolùm diebus feſtis, ſed etiam aliquoties per hebdomadam quibuſdam diebus, qui ex deuotione coluntur. Nam hac ratione demum fieri poſſet, ut communis conſuetudo, hactenus praua, & deteſtabilis, in optimam, ac laudabilem, conuerteretur.

FESTA EX PRAECEPTO SERVANDA.

MENSE IANVARIO.

1 Circumciſio Domini.
6 Epiphanię Domini.
14 S. Iuſtini Epiſcopi Teatini, & principalis Patroni.

Menſe

MENSE FEBRVARIO.

2 Purificationis Beatę Marię Virginis.
24 S. Matthię Apoſtoli.

MENSE MARTIO.

7 S. Thomę Aquinatis Confeſſoris Patroni totius Regni.
19 S. Ioſeph Confeſſoris Sponſi B. M. V.
25 Annunciationis Beatę Marię Virginis.

MENSE APRILI.

25 S. Marci Euangeliſtę.

MENSE MAIO.

1 SS. Philippi, & Iacobi Apoſt.
3 Inuentionis S. Crucis.

MENSE IVNIO.

24 Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ.
29 SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum.

MENSE IVLIO.

25 S. Iacobi Apoſtoli.
26 S. Annę Matris Beatæ Mariæ Virginis.

MENSE AVGVSTO.

10 S. Laurentij Martyris.
15 Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis.
25 S. Bartholomęi Apoſtoli.

MENSE SEPTEMBRI.

8 Natiuitatis Beatę Mariæ Virginis.
19 SS. Ianuarij, & Sociorum Martirum.
21 S. Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtę.
29 Dedicationis S. Michaelis Archangeli.

MENSE OCTOBRI.

28 SS Simonis, & Iudę Apoſt.

MENSE NOVEMBRI.

1 Omnium Sanctorum.
11 S. Martini Epiſcopi, & Confeſſoris.

S. Andreę

30 S. Andreæ Apoſtoli.

MENSE DECEMBRI.

8 Conceptionis B. M. V.
21 S. Thomæ Apoſtoli.
25 Natiuitatis Domini.
26 S. Stephani Prothomartyris.
27 S. Ioannis Apoſtoli, & Euang.
28 SS. Innnocentium Martyrum.
31 S. Silueſtri Papę, & Confeſſoris.

FESTA MOBILIA.

Dominicę totius Anni.
Paſcha Reſurrectionis, cum duobus ſequentibus diebus.
Aſcenſio Domini.
Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus.
Solemnitas Corporis Chriſti.

FESTA AVTEM EX DEVOTIONE SVNT.

MENSE IANVARIO.

17 S. Antonij Abbatis.

MENSE FEBRVARIO.

3 S. Blaſij Epiſcopi, & Mart.

MENSE IVNIO.

13 S. Antonij de Padua Confeſſoris, & Patroni Teatini.

MENSE IVLIO.

31 S. Ignatij de Loyola Fundat. Soc. Ieſu, & Patroni Teatini.

MENSE AVGVSTO.

2 Dedicatio S. Marię Angelorum.
7 Donati Epiſcopi, & Mart.

16 S. Rocchi Confeſſoris.

MENSE NOVEMBRI.

2 Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum. mane.
5 Dedicatio Eccleſiæ Maioris Theatinæ.

MENSE DECEMBRI.

2 S. Franciſci Xauerij Confeſſoris, & Patroni Teatini.
13 S. Luciæ Virg. & Mart.

Inſuper feria 4. Cinerum, & feria 5. in Cœna Domini } mane.

CAP. VII.

DE VERBI DEI PRAEDICATIONE.

§ 1 QVoniam ij, qui ſunt Populo à concionibus, miniſterio verbi Dei, quod ſuſtinent, poſſunt vel maximè Pietatem, quotidie magis magiſq; collabentem, inſtaurare; & *Prędicatores quales.* *Prouerb. cap 30. Pſ. 118.*

D. Ambros in illud pſ. 118. ignitũ eloquium, &c. re; & fidem, quaſi efflatis ſordibus, conflare; vì nimirum ſermonis Domini, qui ignitus eſt, immò Ignis ille, quem Dominus, Verbumq; ipſum à Patre genitum, in nouo ſparſit teſtamento. *D. Paul. 1. Timoth. cap. 5.* Profectò eoſdem monitos, cum D. Paulo volumus, vt & ſibi attendant, & doctrinæ: ſibi quidem, mores ſuos luſtrando, corrigendo, & componendo: doctrinæ verò, vt diuino inſtructi ſpiritu erudiant cœteros. *Ibidem apud Apoſtolum.* Hoc enim facientes, & ſe ipſos ſaluos facient, & eos qui ipſos audiunt.

Curatiomnes debent concionari. § 2 Rectores porrò Animarum tenentur ex vì proprij officij de rebus Diuinis ad populũ dicere. *Hierem. 3.* Quod promiſſum olim fuerat per Prophetam. Dabo Paſtores, & paſcent vos ſcientia, & doctrina. *Cõcil. Trident ſeſſ 5. cap 2. Reform. & ſeſſ 24 cap. 4. Reform.* Quare mandamus omnibus, qui Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes, Eccleſias regunt, vt per ſe ipſi Dominicis diebus, alijsq; ſolemnibus populos ſibi commiſſos, *Quãdo, & de quibus rebus.* pro ſua, & eorum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; annunciandoq; eis cum breuitate ſermonis, & facilitate Vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & Cœleſtem Gloriam conſequi valeant.

§ 3 Si

§ 3 Si quis autem ex ijs, quos diximus, ſuopte ingenio, memoriterq; exequi id non valuerit; ſaltem Homilias Sanctorum in vulgarem linguam conuertat, vel conuerſas pronunciet, aut probatum in concionibus Auctorem populo legat, vel ex ſcripto proferat. Verùm ſi neque hac ratione muneri ſuo ſatisfacere ſtuduerit, prę ter cœteras pœnas, quas Concil. Tridentinum præſcribit, ex beneficiorum, quæ poſſidet, fructibus alteri, qui id præſtet, honeſtam mercedem aſſignabimus, donec principalis ipſe reſipiſcens, officium ſuum impleat.

Quid ſi ex ſe nequeant.

Cōc. Trid. vbi ſupra.

§ 4 Et vt nobis progreſſus Curatorum in hoc tam graui munere implendo ſpectatus ſit ſemper, & quoad fieri poteſt promoueatur: mandamus, vt ſexto quoq; Menſe vnum aliquem ſermonem ad Populum in Eccleſia habitum, ſcriptum ad Nos mittant: grauiter, ſi negligentes alioqui fuerint, puniendi.

Tranſmittẽdus ſcriptus aliquis eorũ ſermo.

Quando.

§ 5 In dicendo autem caueant tum ne circumferantur omni verbo doctrinæ, ſed ſenſa ſcripturarũ enodantes, ſequantur communem Eccleſiæ, & SS. PP. interpretationes, probatorumq; DD. conſenſum: tum ne adulterentur Verbum Dei, ſed prędicent potius iuxta Apoſtolicam formam Ieſum Chriſtum, & hunc Crucifixum. Commenda-

Quę obſeruanda in concionibus.

Ad Epheſ. 4. Leo X. in Conc Later. conſtit. incip. Supernæ.

mendamus quoque quantum poſſumus, vt de rebus fidei ſcitu magis neceſſarijs, ſæpius verba faciant, & quoſdam ſpirituales libros præ manibus habeant, Vitas Sanctorum, Granatam, Aponte, &c. Præterea contra vitia omnia, prauaſq; conſuetudines inuehantur, ſed vehementiores ſint in ijs reprehendendis, quæ magis vigent. Chriſtianas Virtutes, euangelica conſilia, præceptaq; omnia inſinuent, & declarent. In omnibus appareat Zelus animarum. Caueant ab inanibus quæſtionibus, à narrationibus fabuloſis à Miraculis non probatis, & à promulgandis (Nobis incolſultis) Indulgentijs nouiter obtentis. Et quamuis Vitia quælibet damnare, inſectariq; debeant; caueant tamen, ne quemquam nominatim offendant; præſertim Eccleſiaſticos, & Magiſtratus. In morte alicuius nulla habeatur Concio in illius laudem, niſi prius à Nobis, vel à Vicario noſtro Generali approbata.

Noctu nũquam Cõcio.

§ 6 Præterea nunquam fiat conuentus ad concionem noctis tempore, etiam ſi ſit feria quinta Maioris hebdomadæ. In Concione demum audienda, Fæminæ decenti aliqua ratione ſeparatim á Viris ſedeant.

Fęminę ſeparentur a Viris.

Quid faciant exempti.

§ 7 Nemo, quantumuis exemptus, ſiue Secularis, ſiue Regularis, audeat, in alienis Eccleſijs,

aut

aut quæ ſui Ordinis non ſunt, abſq; noſtra licentia prædicare; Et in Eccleſijs ſuis, ſiuie Ordinis, non petita à nobis benedictione, aut Nobis contradicentibus, ſub cenſuris, alijſq; pœnis, quas decretis Concilij Tridentini addidit Gregorius XV. Propterea Parochi per Diœceſim, in ſuis Eccleſijs neminem huiuſmodi prędicare permittant, non oſtenſa noſtra licentia. *Leo X. in cõc. Later. conſtit. incip. Superna. Cõc. Trid. vbi ſupra Greg XV. cõſtitut. in cipien. Inſcrutabili.*

§ 8 Concionatoribus quibuſcunq; mandamus, vt ſemel ſaltem intra Quadrageſimale curriculum, cum frequentior eſſe ſolet Populus, agant de Eccleſiaſticis cenſuris: quàm vim habeant, quanti ponderis ſint, quantum damnum inferant Contumacibus, tàm in bonis ſpiritualibus, quàm in temporalibus: & exemplis, ac rationibus, ſtudeant populum ad huiuſmodi gladium Eccleſiaſticæ poteſtatis metuendum inducere. **Semel agatur de Cẽſuris Eccleſiaſticis.**

§ 9 Expleto autem totius Quadragenarię prędicationis munere, ſi quæ cognouerint, reformatione in ijs locis, vbi prædicauerint, indigere, ad Nos ſaltem per epiſtolam referant: vt prouidere poſſimus. **Moneant. Nos de rebus corrigendis.**

§ 10 Vniuerſitates, ſeu Communitates locorum noſtræ Diœceſis, quæ vigore aſſertæ immemorabilis præſcriptionis, nominationem Con- **Nominationes cõcionatorũ à quib;quã**

F ciona-

do, & quomodo faciendæ. cionatorum prætendunt; tenentur iuxta decretum prçcedẽtis Diœceſanç Synodi, quod in prçſenti innouamus, per totum Octobris menſem, dictas nominationes facere; & quidem ritè, idest per litteras ipſius Communitatis ſigillo munitas. Ita enim fiet, vt & fraudibus in hac re occurratur: & commodè cognoſci, nominati Concionatoris qualitates poſſint; & ne alicubi verbi Dei prædicatio deſit, proſpiciamus in tempore: Nam ſi per dictum tempus Nominatio nulla fiat; tunc certè Nos de idoneis concionatoribus, prout Paſtorale noſtrum munus exigit, prouidebimus.

Parochi oſtendant hçc decreta Cõcionatoribus &c. § 11 Parochorum denique ſit, quoſcunque Concionatores, qui hoc munus obituri de nouo ad ipſorum Eccleſias acceſſerint, de toto hoc capite per extenſum commonere; & ſi quid contra prçdicta peregerint, Nobis ſtatim (ſub pœnis arbitrio noſtro) ſaltem litteris aperire.

CAP.

CAP. VIII.

DE QVADRAGESIMA ET IEIVNIO.

§ 1 TOtius Chriſtianæ Virtutis munimentum, Ieiunium eſſe, ex eoq; contra exercitum Dęmonum arma ſumi; quibus omnis illorum maligna claſſis retrorſum agitur, mala deſideria effugantur, & fugitiuæ abeunt voluptates; vna Sanctorum Eccleſię Patrum vox eſt, idemq; ſenſus. Potiſſimum verò id atteſtantur de Quadrageſimali Ieiunio; quod proinde, in primis, docent, diuinis ſanctificandum eſſe obſequijs, vt eo maximè tempore ſancta uelimus, & ſtudioſiùs iuſta faciamus, & iniqua vitemus.

Ieiunium *Mater*, & Nutrix virtutum. SS. *Athan. Cyprian. Ignatius Baſil. & alij.* S. *Maximus Taurinen. homil. de Ieiun. Quadrag. Cap. Quadrag. de cõſecr. diſt.* 5.

§ 2 Ieiunij Quadrageſimalis leges, Parochi omnes incipiãt à Dominica Septuageſimæ Populis explicare, inter Miſſarum ſolemnia. Declarent primûm quęnam ſint Ieiunij Eccleſiaſtici eſſentialia, quę inſuper accidentalia: qui item eius lege obligentur; quę ſint tempora refectionum; quę etiam qualitas ciborum; & demum qui modus tenendus, vt ritè, & ſanctè ieiune-

A Septuageſima publicetur. *Cap. ſtatuimus, & ſequentib. d.* 4.

ni tur:

Iſai. 58. tur: ne illud nobis Iſaię obijciatur. Nonne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi, diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes, &c. frange eſurienti panem tuum &c. Et ne ex errònea conſcientia peccetur, explicent

Ex DD. etiam (ſi opus fuerit) aliquoties iuxta Doctorum receptas ſententias, quodnam genus hominum lege ieiunij non obſtringatur: Vt ſunt, V. G. ij, qui labore proprio incompatibili cum Ieiunio debent victum quęrere, & qui cœteri caſus, qui excuſant; vt pro Eccleſię poteſtate diſpenſari poſſit.

In quæ eo tempore incumbendum.

§ 3 Enixè per quadrageſimam incumbant, vt rixę, & diſſidia tollantur, componantur lites, & quomodocunq; diſſidentes reconcilientur; à luxu, conuiuijs, ludis, venationibus, & ſimilibus, abſtineatur: in quo genere Hiſtrionum pręcipue Artes, & exercitamenta minimè volumus permittenda, ſub pœna noſtro irriganda arbitratu. Inſuper vt libidinoſi à peccatorum face, & alij publici Peccatores ad bonam frugem re-

S. Leo. & Pius PP. cap. Nihil. de cõſecrat diſt. 5. & cap. Ieiun. eod.

uocentur. Et in vniuerſum, vt dum Caro ab alimentis abſtinet, mens tùm maximè à culpa ieiunent.

Quiſque autem tempore hoc tam acceptabili, conuerti ſtudeat ad Dominum in toto corde ſuo,

in

in Ieiunio, fletu, & planctu, interioriq; animi poenitentia. Vacet expeditior, & promptior Deo, rebuſq; Diuinis, orationibus inſtando, diuina myſteria ſæpius obeundo, Miſſam audiendo, eleemoſynas erogando, & Conciones (quod quantum poſſumus commendamus) nunquam omittendo. *Ioel. 2.*

§ 4 At cùm Concilij Triburicen. canone caueatur, vt per quadrageſimam manè Curię ſileant, & Ius non dicatur: profectò eodem tempore Officinę Mercatorum deberent non aperiri: ſcilicet vt omnes, iuxta Prophetę monitionem, cętus hominum, ſenes ipſi, & paruuli congregari poſſent ad audiendum verbum Domini. Porrò quoniam id hoc tempore difficultatem trahit; Nos hortamur omnes in Domino, vt ſaltem adeo tempeſtiuè Curię habeantur, vt Miſſæ Populus, ac prædicationi valeat intereſſe. Mercatores quoque, Opifices, cæterique omnes tum ipſi, tum eorum adiutores, & famuli Miſſam, & Prędicationem omninò audiant. **Monitio ad Curiales, Mercatores, &c.** *Ioel. 1, & 2*

§ 5 Quod autem attinet ad eos, quibus cum diſpenſandum erit in Ieiunio, & Cibis; mandamus, vt cauſa diſpenſationis priùs Medici teſtimonio confirmetur, & huic poſtea noſter Vicarius generalis in Ciuitate, & Parochi in Diœceſi **De cauſa diſpenſãdi in Ieiunio.**

ceſi ſubſcribant. Animaduertant namque, Nobiles pręſertim Viri; non qualibet minima valetudinis incommoditate, multoq; minus ſola illius tenuitate, fere ſemper ſolui legibus Ieiunij, quod á Pia Matre Eccleſia indicitur, cùm propter alia bona, tum vel maxime, vt aliquid moleſtię patiamur, atque adeo ſatisfaciamus Deo pro peccatis. Interim dum vera neceſſitas vrget, ſeorſum ab alijs domeſticis, quantum fieri poterit, vtantur permiſſis cibis. Nemini propterea, niſi conceſſam exhibeat licentiam, vendi (in Tabernis verò nullo modo) carnes poterunt.

De modo vtendi cibis permiſſis; & vendendi.

§ 6 Cœtera inſuper Ieiunia Vigiliarum per annum, Quatuor Temporum, &c. publicent Parochi pręcedentibus diebus Dominicis, & obſeruantiam inculcent. Vt hac ratione, nemo ob illorum ignorantiam, debitam Eccleſiæ præceptis obedientiam præſtare, prætermittant.

Alia ieiunia per annũ annunciari debent Populo.

CAP. IX.

DE BLASPHEMIA.

§ 1 QVemadmodum plurima ſunt, quæ Fidem, & Religionem confirmant, & mu-

Blaſphemiæ peruerſitas.

& muniunt; quæ proinde Nos inſtruere, & promouere pro Paſtorali officio tenemur : ita alia quoque accidunt, quę oppugnant, & euertunt: aduerſus quę vehemētior ſolicitudo, atque induſtrior (vt pote vſitatius in vitium) adhibenda eſt: In his Blaſphemiam, cum ingenti animarum damno cernimus inualeſcere. Eius enim peruerſitatem, qua impius homo audet os ſuum ponere in cęlum, diuinę glorię derogando, Bonitatem deteſtando, Maieſtatem contemnendo, adeo populus non ęſtimat, vt pro nihilo habeat blaſphemandi conſuetudinem. Hanc ob cauſam Animarum Rectores dum ad populum verba facient, vehementer in hoc peccatum inuehantur: aperiant, quám grauis offenſa Deo irrogetur; quanta malitia in eo contineatur, & hęc quàm proxima ſit malitia infidelitatis: Quòd diuinitus pœna mortis fuerit olim conſtituta blaſphemis: & quòd hæc eadem pœna mortis ſit ciuili Iure decreta: & alia huius generis argumenta, quæ faciunt ad terrorem.

Exaggeretur à Parochis.

Pſal. 72.

Leuit. 24.

Auth. vt nō luxur. contr. nat. inſi.

§ 2 In foro autem Pœnitentiæ, cùm ipſi, tum alij quicunque Confeſſarij ſint huius vitij acres animaduerſores, deterreant criminoſum à recidiuitate, & ita pro viribus incumbant; vt praua hæc conſuetudo, ſuæ facilitati, & negligentiæ

Quid faciē dū in foro pænitētię.

nequa-

nequaquam in Iudicio Dei adſcribi poſſit. Obſeruent inſuper diligenter diſcrimen inter blaſphemiam meram, & blaſphemiam hęreticalem: & iuxta hanc diſtinctionem examinent pœnitentes; quia cum hęreticali coniungi ſępe etiam ſolet error Intellectus, peccatumque hęreſis, atque adeo incurri prima excommunicatio Bullę Cœnę Domini. Porrò Blaſphemiam, ſi publicè fuerit in Deum, in Ieſum Chriſtum, vel in Beatam Virginem, atq; ex conſuetudine prolata; Nobis reſeruatam eſſe quo ad abſolutionem, ſciant. Vt graui proinde pænitentia impoſita, à crimine adeò deteſtabili abſtinere deliberent.

Blaſphemia hæreticalis.

In quibus terminis reſeruatur

§ 3 Pœnas verò, quę à Sacris Canonibus, præſertim in Concilio Lateranen. cõtra Blaſphemos, ſancitę ſunt, enim verò infligendas iudicamus. Quòd ſi talis publicus Blaſphemator fuerit Clericus, mandamus, vt prima vice fructibus Beneficiorum, poſtea beneficijs ipſis priuetur: ſin minus beneficia poſſideat, pœnis alijs grauibus iuxta Sacros Canones, & noſtrum arbitratum puniatur.

Pœnæ. Sub Leon. X.

§ 4 Pręterea Iudicibus, quorum intereſt in Blaſphemos animaduertere, si condignam de illis, vt debent, pœnam ſumpſerint; Leo X. decem Indulgentiarum annos, item, & deferentibus

Indulgentiæ, Iudicibus, & Reuelãtibus.

bus conceſſit. At ſi quem reum hoc crimine conuictum, vel confeſſum, impunitum dimiſerint; eaſdem pœnas Iudicibus, quas Reis, idem Pontifex ſua conſtitutione ſanciuit, cōminamur.

§ 5 Non ceſſent Parochi, acriter reprehendere frequentes illas maledictiones, atq; imprecationes in Proximum, in Filios, in Famulos, & in animas Defunctorum. Similiter inuehantur in abuſum illum Sacræ ſcripturæ; quo ſcilicet quis illius verba, & ſententias ad prophana, ſcurrilia, vana, adulationes, detractiones, & quod longè intollerabilius eſt, ad ſuperſtitiones incantationes, ſortilegia, & diuinationes, vel libellos famoſos componendos, conuertit, & torquet. Imprecationes. Abuſus S. Scripturæ.

§ 6 Si alicubi Sodalitas nominis Dei inſtituta iam eſt, Parochi promouere illam præcipua cura nitantur. Eius namq; finis proprius eſt, Blaſphemias omnes, & periuria eliminare, tùm perpetuo ſuo exemplo, tùm prudenti, & opportuna monitione, periurantibus, aut blaſphemis facienda. Vbi verò nondum erecta eſt, quamprimum erigendam curent: & valde conferet, Indulgentias Summorum Pontificum, eiuſmodi ſodalitati conceſſas, populo recenſere: vt ad tam pium opus excitetur. At De ſodalitate nominis Dei.

ſi nullatenus mandari executioni potuerit; ſaltem alicui alteri iam erectæ, prædictum Inſtitutum contra Blaſphemiam, demandetur.

CAP. X.

DE SVPERSTITIOSIS, ET DIABOLICIS ARTIBVS.

Grauitas criminis.

Ex 26. q. 1. 2. 3. 4. & 5.

§ 1 ALterum crimen, quod Religionem euertit, quodq; paſſim in his populis inualuiſſe, conſpicimus; eſt, ſuperſtitiones, Incantationes, Maleficia, reliquaſq; Diabolicas Artes ſectari: in quibus intueri datur, ſummam hominum vel leuitatem, vel malitiam; quippe qui non horrent ſeſe Diabolo, humanæ ſalutis hoſti vaferrimo, per pactiones, & commercia, vel expreſſa, vel tacita obligare, ac deuincire. Has nos deceptas animas liberare á laqueis perniciosiſſimi erroris cupientes, ſacris canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus inhærentes, enixè, quantùm in Nobis eſt, mandamus, & ſub interminatione Diuini iudicij præceptum hoc incul-

inculcamus: Vt nemo audeat, ligamen, nodum, anulum, imaginem, ſignum, Breue, characteres facere; ignota verba, ſeu ſuperſtitioſa proferre, ſuperſtitioſa item pocula componere, & alia huius generis conſtruere; aut illis vti, ſiue alliciendi cauſa aliquem ad amorem, ſeu coniugium; ſiue ligandi coniuges; ſiue inferendi proximo damnum cuiuſuis generis; ſiue liberandi à morbis homines, aut Animalia; ſiuè inueniendi Theſauros, & furta, ſiuè auri, argentiq; fabricandi; ſiuè rei cuiuſcunq; id genus. Multiplex genus huius criminis.

§ 2 Si quis igitur ſuperſtitioſum aliquod opus fecerit, vt maleficium, incantationem, &c. Animo nocendi alicui, vel cum expreſſa inuocatione Dœmonis, aut de facto alicui nocuerit; ſit eo ipſo excommunicatus; & huius excommunicationis abſolutionem Nobis reſeruamus. Vbi autem non expreſſa, ſed tacita tantùm interceſſerit Dœmonis inuocatio, nec proceſſerit opus ex animo nocendi alicui, criminis tantùm huius abſolutionem Nobis reſeruatam eſſe, intelligant. Quatenus incurritur Excõmunicatio.

§ 3 Præterea ſi conſtare contigerit, cum Dœmone, aliquem, pactum inijſſe, & à fide apoſtatando maleficijs, ſiue ſortilegijs quempiam ita læſiſſe, vt ſecuta fuerit mors; Curiæ ſæculari tradendus is erit, debitis afficiendus pœnis, at ſi A pœna.

tantùm ſecuta ſit infirmitas, diuortium, impotentia generandi, damnum Animalibus, frugibus, fructibus, muro erit claudendus, ſeù perpetuis carceribus mancipandus, vt Gregorius XV. ſpeciali conſtitutione præſcripſit.

Greg. XV. bulla, incip. Omnipotentis.

Qui horũ notitiam habent tenentur reuelare.

§ 4 Qui ſimilium delinquentium, & aliorum quorumçunq facientium, componentium, ſeù vtentium ſupradictis rebus, propter quę incurritur pręd̄icta excommunicatio, notitiam habuerint; Nobis denũciare ſub pœna peccati mortalis teneantur. Et ſi renuerint, beneficium abſolutionis ipſis nequaquam conferatur.

Contra Aſtrologiã iudiciariã. *Sixti V. & Vrb. VIII conſtit. incip. Inſcrutabilis.*

§ 5 Inſuper iuxta conſtitutiones Sixti V. & Sanctiſſimi D. VRBANI VIII ſub pœna excommunicationis nemo pręſumat, Aſtrologiam iudiciariam profiteri: atq; ex aſpectu ſtellarum, vel etiam ex alijs generibus Diuinationum per aliquod elementum, per ſortes, per mortuos, per lineamenta manus, & ſimilia, pręd̄icere actiones Hominis, quę à libero arbitrio proficiſcũtur. Ii verò, qui talia profitentium notitiam habuerint, denuntiare ſimiliter Nobis tenentur; alioquin, vt ſupra, non abſoluantur.

De Ægyptiacis, ſeu Cingaris.

§ 6 Circa ſubdolum Cingarorum genus, videant diligenter Animarum Rectores, primùm ne quid ſuperſtitioſè faciant, deinde etiam ne

fallaci-

fallacibus cantilenis populum decipiant,& quod corrigendum iudicauerint, Nobis illicò referant. Hortentur etiam Magiſtratus, Dominoſq; locorum,ne in ijs diu id genus hominum permittant commorari.

§ 7 Demũ in hoc ſtudia, & ſolicitudines Parochorum desideramus,vt quiſque è fidelibus proprię parochię vanas obſeruationes, & ſuperſtitiones omnes euellat. Et diligenter perquirat ea, quę contigerit audire, in hoc genere fieri. Tum nobis ſignificent. Vicarij foranei inuigilent in Parochos; pręſertim in hac re: in qua ſi negligentiores illos repererint, Informationem ipſi ſuſcipiant: & cum eam ad Nos tranſmittunt, accuſent ſimul negligentiam Parochorum. Quid faciant Parochi, & Vicarij foranei.

CAP. XI.

DE SACRAMENTIS.

ET PRIMO DE SACRAMENTIS IN GENERE.

§ 1 QVoniam Eccleſiæ Catholicæ fundamenta,præter fidem,ſunt etiam Sacra- Quales debeant eſſe Miniſtri.

Sacramenta, quæ fuerunt diuinitùs inſtituta per Chriſtum, vt proinde ipſa Eccleſia ex latere Ieſu, vnde miſticè Sacramenta fluxerunt, fabricata eſſe dicatur. Studeant Animarum Rectores tales eſſe, vt eos exiſtimet homo miniſtros Dei, & diſpenſatores myſteriorum eius, & quidem fideles, non tam validè ea miniſtrantes, ſed etiam vſquequaque ſanctè, piè, ac veneranter.

D. Auguſt. in pſ. 138. & trac. 15 in Ioan:

1. Cor. 4.

§ 2 Ritus omnes, & cæremonias, in adminiſtratione Sacramentorum ab Eccleſia præſcriptas, inuiolabiliter ſeruent. Propterea præcipimus Parochis, vt vnuſquiſq; comparet, & habeat duplex Rituale Romanum, iuſſu Pauli V. editum, ſuo nomine in prima pagina inſcripto; nec quidem lacerum, aut deturpatum, ſed decentis planè formę, & alterum quidem horum retineatur in Eccleſia propter Ordinarios in ea vſus. Alterum verò habeatur Domi, vt cum eo facilius, ac promptiùs comendationi animarum, & inopinatis caſibus occurrere poſſint. Sub pœna vnius aurei, locis pijs applicandi.

Parochi habeāt duplex Rituale.

Alterū in Eccleſia. Alterum Domi.

§ 3 In lectionem Ritualis ſedulò incumbant, indeq; fiet, vt tum eſſentialia, tum etiam cæremonias omnes Sacramentorum ſufficiēter comprehendant; & in ordinarijs euentibus, qui prouideri potuerunt, non hæſitent. Sciant quoque,

Perlegant illud diligenter.

que, ſe de huiuſmodi rubricis in Viſitatione examinandos eſſe: & ignorantes grauibus afficiendos pœnis.

§ 4 . Vocati ad Infirmos, quouis tempore, pręſertim noctù expeditè, ac promptè accurrant. Nam ſi propter ipſorum moram, mori quempiam abſq; Sacramentis pęnitentiæ, Euchariſtię, & Extremæ Vnctionis, contingat, vel abſq; commendatione Animæ, grauiter pro modo culpæ plectentur. De viſitādis Infirmis.

§ 5 Infirmos popriæ Parochiæ, etiam non vocati, ſæpe viſitent; tum vt de periculis moneant; tum potiſſimùm vt ad Sacramenta ſuſcipienda permoueant; & in imminentibus caſibus, concilio, & opera prętò illis eſſe poſſint.

§ 6 Magnoperè porrò caueant, ne in Sacramentorum adminiſtratione, verbis vnquam, aut ſignis directè, vel indirectè quicquam petant. Vt omnis Simoniæ, aut auaritiæ ſuſpicio procul ab eorum miniſterio amandetur. Qui ſecùs fecerit, grauiſſimas Iuris, & Arbitrij noſtri pœnas ſuſtinebit. Nihil petatur pro adminiſtratione.

§ 7 Claues locorum, in quibus aſſeruantur Sacramenta, vel Sacramentalia, cautiſſimè penes Parochos ſint; & Clericis non tradantur. Sintq; etiā talis formę, vt adulterari facilè nequeant. Claues ſit apud Parochos.

CAP. XII.

CAP. XII.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Innouantur Decreta Viſitationis, & præteritę Synodi.

§ 1 IN adminiſtratione Sacramenti Baptiſmi quædam hic præcipimus Parochis obſeruanda. Sed primum, innouatas, & roboratas in præſentia eas omnes ordinationes volumus, quæ circa baptiſmalem fontem, eius ſitum in Eccleſia, Ciborium, conopœum, Vaſcula oleorum, cocleare, ſacrarium, mappas, Imaginem D. Ioannis Baptiſtæ, librum baptizatorum, claues, & alia huc ſpectantia, in Viſitatione, pręcedentiq; Synodo, tám vtiliter, ac diſtinctè conſtitutę fuerunt. Memores quod pro grauitate rei, & pro modo inobedientię, vel negligentię ſeuerè punientur.

De libro Baptizatorum.

§ 2 De libro baptizatorum denuò nominatim decernimus, vt ſit benè compactus, vnicuique paginę apponatur proprius numerus, cùm in fronte, tum à tergo: nomina baptizatorum eo ordine, & formula, quam Rituale Rom. conſtituit, Parochus, vel alius Sacerdos, de licentia Parochi baptizans, conſcribat: Et quidem nomina, non per compendia litterarum, nec tempora, per arithmeticos characteres, ſed omnia

planè

planè per extenſum. Ex g. Die prima menſis Ianearij, &c. Cuſtodiatur hic liber clauſus in Ciborio ſacri fontis. Et ex eo, nulli omninò liceat, fidem, & teſtimonium ætatis alicuius excerpere, Nobis vel Vicario noſtro Generali in Ciuitate, & Vicarijs foraneis in Dœceſi inconſultis: niſi ad ipſorum baptizatorum, vel Parentum dumtaxat poſtulationem.

§ 3 Non permittat Parochus, vt imponantur Infantibus turpia, & ridicula nomina, aut quæ fuerunt Gentilium, vel Impiorum hominum propria, ſed potius illa, quę ſunt Sanctorum, vt adulti poſſint ab his beneficium interceſſionis apud Deum ſpeciali quodam titulo petere. Negligentibus porrò infligetur pœna vnius aurei; locis pijs applicandi. De nominibus imponendis.

§ 4 Expoſititij infantes, in quibus nullum Baptiſmi ſignum extat, baptizentur à Parocho ſub conditione, ſi non ſint baptizati. De Infātibus expoſititijs.

§ 5 Vt autem quantum poſſumus Paruulorum ſaluti conſulamus; conſuetudinem illam diſtrahendi (vt fit) ad tam longum tempus ſacrum baptiſimum, neutiquam ferendam iudicamus. Itaque diſtrictè pręſenti decreto mandamus, ne vltra quatuor, aut quinque à Natiuitate dies, ſalutare lauacrum differatur. Ne differatur Baptiſmus.

H § 6 Prę-

Quibus de rebus lo-qui Parochus debe-at, ſæpe ad Obſtetri-ces, & ali-os.

§ 6 Præterea ſępe Parochus Populo generatim, tum in ſermonibus, tum inter Miſſarum ſolemnia, & Obſtetricibus aliquoties ſeorſum (ſed in ipſa Eccleſia) eſſentialia huius Sacramenti, pręſertim formam, clariſſimè, & vulgari ſermone explicet, quę eſt (Io ti battezo in nome del Padre, del Figlio, e dello Spirito Santo.) doceatque nihil planè aliud addendum, aut detrahendum. Deinde prędictis dempręhenſam formulam verbis, faciat, vt Obſtetrices pluries, & quidem bene prolatam, repetant; Tradat etiam apertè, quę ſit idonea, & ſimul ſufficiens materia, licet deſint Olea ſacra, ſal, &c. Quæ item abluendi ratio, nempe non liniendo tantùm, ſed effundendo aquam, Quam denique intentionem habere oporteat. Iiſdem iniungat quoque, vt cùm ad ſuam operam præſtandam accedunt, ob periculum, quod accidere fortè poſſit, faciant, vt in eadem parturientis domo Aqua retineatur, omnemq; in contrarium vanam obſeruantiam euellere nitantur. Declaret nonnumquam, in caſu neceſſitatis Miniſtros huius Sacramenti, eſſe omnes omninò, etiam Parentes: & in dubio, viuat ne Infans, an non, baptizandum eſſe ſub conditione, ſi viuat.

§ 7 Cum Paruuli ad Sacrum Fontem afferuntur,

tur, interrogentur Obſtetrices, an inſtante aliquo periculo, collatus ſit eis baptiſmus. Nam tunc exorciſmi, catechiſmus, aliæq; cæremonię tantùm adhiberi debent. Quod ſi in periculo, non caput paruuli, ſed alia pars corporis, abluta fuerit; baptizetur iterum ſub conditione. Ad Romani Ritualis præſcriptum.

§ 8 Eaſdem ſeriò moneat, ne linteolis, & faſcijs paruuli, aliquid inuoluant; quo non raro ad ſuperſtitiones, & maleficia, abuti ſolere accepimus; ſub pæna priuationis ſui muneris. Idq; ſe denunciet, vel faſciarum diſſolutione cogniturum: ac propterea ne ſal quidem benedictus, qui ſupereſt, eis reddatur, ſed proijciatur in Sacrarium. Caueat ne impon ãntur aliqua ſuper Puerum.

§ 9 Declaret, in Miniſterio Sacramẽti Baptiſmi, etiamſi domi fiat, cõtrahi cognationem ſpiritualem inter perſonas in Conc. Tridentino expreſſas, non in reliquis cœremonijs, quæ in Templo adhibentur.. Inſuper quodnam ſit officium, & obligatio Compatris, ac leuantis: nempe vt ad fidei Chriſtianæ Diſciplinam atq; ad chriſtianos mores erudiant ſuſceptos. Quamobrem ad Patrini officium admittendum non eſſe illum, qui Doctrinæ Chriſtianæ pręcipua, & ſumma ſaltem capita ignoret, vel ſit publicè De Patrino, & Cognat. Spirit. *Cõc. Trid. Seſſ 24. c. 2 de Reform. Matr.*

criminoſus :

De Obſtetricibus.

§ 10 Obſtetrices poſt duos Menſes à Synodi promulgatione ſuum ne obeant munus antequam á noſtro Vicario Generali in Ciuitate, & à Vicarijs foraneis in Diœceſi periculum fiat de earum honeſta vita, conditione, famaq; & cum conſtiterit, frequentare Sacramenta, atq; huic muneri idoneas eſſe, facultas tradatur (gratis) in ſcriptis. Alioquin perpetuò ſuo munere priuentur.

Ne retineantur Infātes in lecto.

§ 11 Matres, & Nutrices caueant, ne retineant Infantem apud ſe in eodem lecto, nondum expleto vno ætatis anno, ſub pœna excommunicationis; quam aliquando Parochus inter Miſſarum Solemnia, aut in ſermonibus in memoriam Populo redigat. Quod ſi caſus ſuffocationis cōtingat, incidant in excommunicationem Nobis reſeruatam. Si qui verò parentes ob grauiſſimam paupertatem cunas habere non poſſint, ſit Parocho poteſtas; onerata eius conſcientia, vt re perpenſa, diſpenſet ſuper hoc decreto, itaut totum aliquem modum collocandi ſeparatim Infantem; præſcribat.

CAP. XIII.

CAP. XIII.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

§ 1 ALiquot antè diebus, quàm nos in aliquod Oppidum, viſitationis cauſa, perueniamus, doceat Parochus populum aliquid ſuper excellentiam, & effectus huiuſce Sacramenti; quod, quia roborat animum, mirumq; in modum cœleſtem gratiam alit, fouetque, vt ſacro latice dudum intincti, quaſi modo geniti Infantes, confirmentur ad pugnam, armentur, & inſtruantur ad Agonem præſentis vitæ: Confirmationis nomen inuenit.

De quibus rebus monendi ſint confirmãdi.

D. Petrus Epiſt. 1. cap 1. Conc. Aurel. de cõſ. de 5. Can. vt ieiuni.

§ 2 Porrò nemo ætate idoneus, illo initiari negligat, ſub pœnis in Concilio Vormaticen. latis. Adulti ritè illud obeant, nulla nimirum grauioris culpæ mortifera labe reſperſi: Itaque præmittant Sacramentum Confeſſionis, vel ſaltem actum veræ, & perfectæ contritionis, munditiæ in corporis cultu quærantur, atq; adeò Confirmandi accedant tonſo capillo, mundo aſpectu, honeſto veſtitu. Iidem ſchedulam deferant, in qua ſcriptum ſit Nomen ipſius Confirmandi

Qui cõfirmari, & quomodo diſponi debeant.

Melch PP. Epiſt. ad Epiſc. Hiſp. ref. de cõſ. d. 5.

firmandi, parentum, & patrini. In qua conficienda ipſemet Parochus inuigilet.

De Patrin. & Cognat Spirit.

30 q. 4. & cap. ſi quis filiaſtrum 30 q. 1 & c. ne dū de Cognat. ſpirit in 6. Trid. Seſſ. 24. c. 2. de conſ. diſt 4 can. in baptiſ. c. in baptiſ. de cōſ. d. 4. c. nō licet. & ſeq; de cōſecr. d. 4

§ 3 Explicet quoque quam obligationem ferat Patrini nomen, & Officium; nullumq; proinde idoneum huic muneri eſſe, & nullo modo admittendum, qui ignorat præcipua ſaltem capita Doctrinæ Chriſtianæ, ſed reijciendum, ſicuti etiam ſi ſit publicè criminoſus.

§ 4 Moneat de Cognatione Spirituali, quæ contrahitur, iuxta decreta Concilij Tridentini. Itemq; neminem poſſe eſſe patrinum, niſi fuerit confirmatus, & ipſe; vnum tantum eligi debere patrinum, ad ſummum duos, ſcilicet virum, & mulierem, iuxta idem Tridentinum. Ad id verò, nec Clericos quoſcunque abſq; noſtra licentia, nec Confirmandi Parentes idoneos eſſe cenſendos: ſicuti nec Religioſos.

Quid faciendum cū confirmatur Puer ante vſum rationis.

§ 5 Verum quamquam regulariter adminiſtrari hoc Sacramentum debeat poſt quam Pueri inceperint vti ratione. Ideſt ferè circa ſeptimum ætatis annum: tamen ſi aliquando Nobis videbitur, iuſtam aliquam ob cauſam adminiſtrandum eſſe Paruulo alicui ante id tempus; moneant tunc Parochi Parentes, vt poſtmodum procedente ætate, illi rem hanc ſignificent: ne planè contingat, vt adulti, & id neſcientes, contra

huius

huius Sacramenti initerabilem naturam, formamq; Sacrorum Canonum iterare pertentent.

Cap dictũ. de cõſ. diſt. 5. ex Conc. Terraconẽ & Greg. II

§ 6 Conficiant Parochi Librum; in quo Confirmatorum, Patrinorum, & Confirmantis etiam nomina deſcribantur, & quidem per extenſum, atq; adhibito tempore, vt præſcriptum eſt de Libro Baptizatorum, ſub pœna pro modo culpæ, noſtro arbitrio præfigenda.

De libro Confirmatorum.

Ritual. Roman.

CAP. XIV.

DE VENERABILI EVCHARISTIAE SACRAMENTO.

§ 1 EVchariſtiam, miraculorum maximum; in quo nimirum ſummus Deus, fecit potentiam in brachio ſuo, & tanquam optimus Rex ſummum præbuit diuinæ liberalitatis documentum; Vt eo, quo decet, obſequio veneremur, recenſeant primùm Parochi, quæ in Viſititatione ſunt decreta de Tabernaculis, in quibus eſt aſſeruanda, de eorundem Conopęis, interioriq; ornatu, ac deaurata claui, de

Cõfirmantur decreta quędam Viſitationis.

D. Chriſoſt

ui, de lampade, &c. Nam ſi in celeberrimo olim Tabernaculo, inter Cherubinorum effigies ſumma omnium veneratione conſtitutam arçam, vrnam, manna refertam continentem, legimus: quid iam pro ipſius Chriſti corpore aſſeruando, & colendo, faciendum Nobis ſit, facile quiſq; videt.

Ad Hebr. 9.

De numero, & renouatione Hoſtiarũ.

§ 2 Quinq; ad minimùm formulæ, ſeù particulæ conſeruentur in pixide. Has octauo quoquè die per Æſtatem, & quindecimo per Hyemem renouent, & ſecent ex hoſtijs, quantum fieri poteſt, recentibus. Hoſtiæ verò ſint pulchrę, ſed non à laico homine, vel à fœmina confectæ. Qui in his deliquerit, grauiter punietur.

Cũ ad Infirmũ defertur, quę adhibẽda.

§ 3 Alteram Pixidem habeant, qua hoc Sacramentum ad Infirmos deferant, cum accomodato conopęo. Vtantur in hac actione Pluuiali, ſi fieri poteſt. At iſta non omittant, videlicet humerale Velum, quo brachia etiam, & ſacram Pixidem operiant, Vmbellam, Laternas, aut cereos ad minimùm quatuor, Thuribulum cum ſua nauicula, Vas aquę benedictę cum aſpergillo, & Tintinabulum.

Non deferatur à Sacerd. non approbato ad Cõfeſſiones.

§ 4 Hanc Euchariſtię infirmis adminiſtrationem non committant poſt hac Parochi Sacerdoti alicui, non approbato ad Confeſſiones: niſi

extrema

extrema alterius neceſſitas oppoſitum requireret. Vt ſi iterum Infirmus Sacramentum Pœnitentiæ ante cõmunionem deſideraret, poſſit illicò impendi.

§ 5 Infirmorum ędes, antequàm Euchariſtiam perferant, ſi per tempus licebit, viſitent: & curent, vt ab omni ſorde purgentur, & quantum fieri poteſt, ornentur; ac pręparetur menſa cum tobealijs, & cereis; itemq; vaſculum aliquod aquę pro digitorum Sacerdotis ablutione. Potiſſimùm verò inquirant, an vomitum, nauſeam, aliamq; faucium, vel ſtomachi indiſpoſitionem patiatur Infirmus; propter quam diſpiciendum, & conſultandum ſit, an ei deferenda ſit Euchariſtia. **Quæ præparãda in ædibus Infirmorum.**

§ 6 Sępè moneatur Populus, vt cum hęc ſacra pompa, ſeù Diuinæ Euchariſtiæ ad Infirmos comportatio obuiàm cuiuis fit, deuotè ſtatim vſq; ad Eccleſiam comitem ſe exhibeat: qui equo, aut curru vehitur, deſcendat, adoret, & comitetur. Ægroti familia, accenſis luminibus, obuiàm quoq; procedat. Pia demum illa conſuetudo, quæ habet, vt quiſq; lumina propria, vel è feneſtris accenſa proferat, vel cum iiſdem venerabundum ſe comitem adiungat, alatur à Parochis, & vbi non eſt, introducatur in- **Comitãda per viam**

I poſte-

poſterum.

De Paſchali Communione.

§ 7 Quòd verò attinet ad Paſchale Communionis preceptum: per ſe Parochi, & non per alium Sacerdotem (ceſſante legitimo impedimento) ſubiectos cœleſti pane reficiant, & vnicuique ſumpta Communione, dent ſchedam, ſeù ſignum aliquod, quod ſuo poſtea tempore de eorundem manibus recipiant; quemadmodum recipere etiam debent ſimile aliquod ſignum peractę Communionis ab Abſentibus, cum redierint, vt in vnum librum referrè poſſint eos, qui de ſua Parochia, ſacroſancta myſteria perceperunt. Eos verò qui intra quindecim dies videlicet à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis incluſiuè, ad ſacram menſam non acceſſerunt, in catalogum referant, & Nobis tradant; vt ad pręſcriptum Sacrórum Canonum, ſeruatis ſeruandis, ingreſſu Eccleſię, & Eccleſiaſtica ſepultura interdictos declaremus, contumaceſq; anathemate feriamus.

De publicis criminoſis.

§ 8 Sub idem tempus dent Nobis nomina eorum, qui in ſua parochia ſunt publicè criminoſi, cuius generis ſunt, Excommunicati, Concubinarij, Blaſphemi, Vſurarij, Malefici, Meretrices, Lenones, Coniuges cohabitare ſine cauſa nolentes, indurati cum ſcandalo ad odium: vt

his

his morbis certam remedij rationem adhibeamus.

§. 9. Tenentur Parochi curare, vt Adoleſcentes, qui vnum, aut alterum annum ſupra decimum habent, Sacroſancto Chriſti corpore paſci incipiant. Itaq; mandamus, vt hoc debitum pietatis officium illis præſtent, & à Dominica Septuageſimæ, ſæpe vſque ad Paſcha eoſdem, inſtituant conuocatos docere de his tribus potiſſimùm capitibus: primò de fide huius Sacramenti; ſecundò de præparatione; tertiò de modo dignè, pièq; illud ſumendi, & gratias Deo agendi, vt ita inſtructi poſſint in Paſchate Diuini Conuiuij fieri participes. De ijs, qui primú cōmunicare debent.

§. 10 Expedire etiam videtur, vt ad Sacrá Menſam Fæminæ ſeorſum á Viris, (meliori modo quo poterunt) accedant. Femine accedant ſeparatæ à Viris. Præterea Sacerdos vt pericula euitet, non vtatur in hac adminiſtratione Patena, ſed Pixide. Pixis adhibenda.

§. 11 Feria quinta maioris hebdomadæ Altare, in quo Sacroſanctum Corporis Chriſti Sacramentum in diem ſequentem aſſeruatur, quam maximè poterit, ornetur. Vnus ibi Sacerdos, vel ſacris initiatus, ſemper, etiam noctu permaneat; tum ad abuſus, tum etiam ad pericula auertenda. Quod ſub graui ſcilicet in Parochos, & De Euchariſtia aſſeruanda feria quinta maior. heb dom.

in non obedientes animaduerſione præcipimus obſeruandum.

De Tabernaculo minori pro Proceſſionibus, & expoſitione SS. Sacramenti.

§ 12 Parochiales Eccleſię, ſeu quęcunq; alię, quę ex conſuetudine pręcedentium temporum habent, vt Solemnitatem Corporis Chriſti inſtituendo, ducendoq; etiam publicas Proceſſiones, celebrent, ſibi omnino quàmprimùm comparent Tabernaculum quoddam, huic vſui accommodatum, ex argento, aliaue ęris materia deaurata affabre factum; Chryſtallo, vel vitro clauſum; cuius quidem lunaris ille orbiculus, quo Sacra Euchariſtia ſuſtinetur, ſit argenteus, & deauratus, & huiuſmodi Tabernaculo vtantur in Proceſſionibus; ac quoties exponi debebit Sanctiſſimum Sacramentum ad Orationem quadraginta horarum, vel ſimiles ob cauſas: quo ſanè caſu Altare ſit decentiſſimè ornatum, & cum competenti numero candelarum, duodenario videlicet, non minori.

De Feſto Corporis Chriſti.

§ 13 Quilibet Animarum Rector populum commouere procuret, vt deuotè Feſtum Corporis Chriſti celebret; ſcilicet, vt elutis animi ſordibus, Sacroſancta Miſteria percipiat, & per Octauam Diuino Sacrificio, & Officijs interſit. Quas vero Indulgentias Summi Pontifices, iſta peragentibus, conceſſerint, publicet, & explicet.

Vrb. IV. Clem. V. Martin *V. Eugen. IV*

§ 14 Stu.

§ 14 Studeant Parochi, vt in ſuis Eccleſijs Confraternitas ſub nomine Corporis Chriſti, ſi inſtituta eſt, conſeruetur, & progreſſum faciat; ſin minus, erigatur, conſultis Nobis, quàmprimùm. Indulgentias à Summis Pontificibus huiuſmodi ſodalitati conceſſas, promulgent; vt excitentur feruentiùs. Eleemoſynę autem, aut redditus, quos dicta Confraternitas habebit, non poſſint in alios vſus expendi, quàm pro luminaribus, cœteroque cultu, ac pro tanti veneratione Sacramenti, quatenus, vel deferri debet, modo planè decenti, ad Infirmos, vel exponi ſolemniter, vel aſſeruari decorè per totum annum in Eccleſia. De cōfraternitate Corporis Chriſti. De eius eleemoſynis & reditibus.

CAP. XV.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

§ 1 POEnitentiæ Sacramentum, ſecunda poſt naufragium tabula, ac neceſſarium Medium, diuinitùs ad remiſſionem peccatorum, præſertim mortalium poſt Baptiſmum, inſti- *SS PP & Cōc. Trid. ſeſſ. 14 cap. 2.*

inſtitutum, atque in manibus Sacerdotis abſoluentis poſitum, qua ſit doctrinæ ſufficientia, qua Sanctitate, qua prudentia, ac fidelitate adminiſtrandum, facile patet. Plurima enim crimina aluntur in Populo, vel non extirpantur, ob Confeſſariorum minus diligens, minusuè fidele miniſterium.

Libri neceſſarij.

§ 2 Parochi intra duos menſes, comparent omninò quoſdam neceſſarios libros, vt Toleti Summam, Bernardinum Poſſeuinum de Officio Curati, & aliquam aliam recentiorem Summam ſub pœna vnius aurei; ſtatim Eccleſiæ applicandi. Nimis enim graue eſt, quod quidam Parochi adeò ſint ſui muneris obliti, vt nihil ferè doceant Pœnitentes, præſertim circa materiam proximam huius Sacramenti; ideſt circa modum rectè confitendi, circa dolorem, propoſitum, &c. & in iniuriam huius Sacri miniſterij, circumſtantias, numerumq; peccatorum non exquirant, ex quo neceſſe eſt fieri, vt veteráſcere vitia, male parta non reſtitui, occaſiones malorum non præcidi, & alia huius generis deploranda mala cernantur inualeſcere.

Tollenda negligẽtia quorundẽ Confeſſ.

In quibus rebus potiſſimũ vigilandum.

§ 3 Confeſſarij omnes diligenter ſuperſtitiones examinent, & quantum eorum poteſtas in hac re ſe extendat, ſciant: illos, qui legata pia adim-

adimplere, & in vniuerſum qui reſtitutiones facere (cum poſſint) renuunt, vel alias non ſteterint promiſſis: illoſq; qui falſum tulerint in iudicio teſtimonium in proximi damnum: detractoreſque alienæ exiſtimationis minimè abſoluant, niſi re ipſa damna illata reſarciant, & promiſſa adimpleant, prout iure tenentur. In his quoq; haberi debent Actuarij, Iudices, &c. qui dicta Teſtium diuidentes, redigunt in Acta ea tantùm, quæ ſunt pro fiſco, omiſſis, vel occupatis ijs, quæ ſunt pro Reo. Similiter, qui doloſè Proceſſus diminutè exarant, aut in illis formandis falſitatem committunt. Itemq; ij, qui ſub pœna excommunicationis moniti ad reuelandum, &c. obedire detrectant. Contractus ſtudioſè perpendant; in dubijs ſuſpendant abſolutionem, doctiores, probatoſue Auctores conſulant. Vſuras conſuetudine loci, vel alio inani colore tegi, ſeu palliari, non ſinant, ſeq; cum ipſis in errorum tenebris inuolui. Concubinarij conuerſio, & conſtantia diuturniori experimento, ponderatis omnibus circumſtantijs, inſpicienda eſt: & offenſio hominum, ſeu ſcandalum auferendum. Quomodo demum agendum ſit cum parentibus, tutoribus, &c. qui non mittunt diebus ſacris puellas ad Miſſam, ſeruari

debet

debet decretum cap. 6. §. 10.

Quæ exponenda in Sacriſtijs,

§ 4 Parochi in Sacriſtijs hæc affixa palam teneant: Conſtitutionem Gregorij XV. contra ſollicitantes, Litteras Bullæ Cœnæ, & Tabellam noſtrorum Caſuum, quos reſeruamus, & cum his, etiam Decreta nouiſſima de celebratione Miſſarum. &c

Confeſſionalia.

§ 5 Quæ in viſitationibus ſancita ſunt circa Confeſſionalia,& eorum feneſtellas,cum minutis ſcilicet tantùm foraminibus; & ſacra aliqua Imagine,&c inuiolabiliter obſeruentur. Imagini verò ſubnectatur formula aliqua impreſſa Actus Contritionis, vt ad eius rationem elicere interius dictum actum pœnitentes addiſcant.

Fœminarũ confeſſiones vbi, & quãdo audiendæ.

§ 6 Fœminarum confeſſiones à nullo Confeſſario excipiantur, niſi in Confeſſionali, & ad crates; non poſt datum ſalutandæ Virginis ſignum veſperi, neq; mane ante Auroram.

Parochi quãdo ſedere debẽt in Confeſſionali.

§ 7 Omni ſtudio excitari debet Populus ad frequentiam huius Sacramenti; vt non contenti ſint, ſolum Paſchali tempore illud obire, ſed ſæpe quoq; per Annum. Quapropter curet Parochus, vt omnes ſciant, ipſum in Vigilijs Feſtorum primæ Claſſis, Beatæ Marię Virginis, & Sabbathis omnibus, pręſertim ante celebriores quaſdam Dominicas, in Confeſſionali permanſurum

ſurum horis duabus matutinis, & tribus pomeridianis. Quod tamen ipſe non prætermittat exequi, etiam ſi nemo aliquando ad confitendum venerit. Benignitatem, & miſericordiam induere ſtudeat, cùm eorum peccata audit, qui metu, vel verecundia teneri videntur; ne per imprudentiam faciat, vt non integra confeſſio, ſed Sacrilega conficiatur.

§ 8 Cùm autem non nemo ſit, adeo æternæ ſalutis immemor, vt dum periculosè decumbit, vix in vltimis vitæ ſpatijs aliquod Chriſtiani animi ſignum, confeſſioniſq; deſiderium ab eo extorqueri poſſit: Medicis omnibus, & ſingulis reducimus primùm in memoriam Iuramentum de monendis Ægrotis, iuxta Pontificum Conſtitutiones, quod in Doctoratu fecerunt: deinde præceptum ipſum Summorum Pontificum, quantum Nos etiam poſſumus, inculcamus, vt ægrotos moneant, & elapſo triduo, eos vlterius non viſitent, niſi præbeant fidem confeſſionis peractæ, vel niſi longius tempus Confeſſor ob aliquam rationabilem cauſam (ſuper quo eius conſcientia oneratur,) conceſſerit; ſub pœnis in Summorum Pontificum conſtitutionibus contentis. Quæ omnia ſemel ſaltem ſingulis annis, cùm maior eſt Populi frequentia, inter Miſ-

Benigne agendũ cũ verecũdãtibus.

Conſtitut. Pij V. incip. Supra gregem.

Innoc. III & Pij V.

K ſarum

ſarum ſolemnia, ſeù in Sermone declaret Parochus.

Inculcētur tēpora ſumendi hoc Sacramentum.

§ 9 Tempora, in quibus vrget præceptum huius Sacramenti, frequenter, & ſeriò efferat primùm, iuxta ius Eccleſiaſticum, ſemel in anno: (in quo ſeruando inculcet ſæpe per Quadrageſimam, ne confeſſiones in vltimos Maioris hebdomadæ dies, vel ad mane ipſum Paſchæ differant) tum iuxta ius Diuinum, vt imminente probabili periculo mortis in morbo graui; antè periculoſam nauigationem, aut partum: aliiſq; caſibus: vt hoc ſalutis æternæ cœleſte remedium, ſaltem cum obligatio adſtringit, ſumatur. Mulieres itidem prægnantes, præſertim nono menſe, ad frequentiam Sacramentorum compellere nitatur.

Op. DD.

Eleemoſynalem ſatisfactionē non aſciſcat ſibi Confeſſarius.

§ 10 Cùm pro ſatisfactione, ac pœnitentia iudicauerint Confeſſarij, iniungendum eſſe, vt aliquid pecuniæ exſoluatur: illud ſanè ſibi ipſi non aſciſcant, alioquin incidant ipſo facto, etiam ſi Regulares fuerint, in ſuſpenſionem ab audiendis confeſſionibus. Eoſdem etiam hortamur, vt nec curam diſtribuendæ eleemoſinæ ſumant, ſed potius faciant, vt ipſi Pœnitentes per ſe in pios vſus, charitatiſq; opera erogent.

Exēpti approbādi à Nobis.

§ 11 Quoniam verò ex Sacri Concilij Tridentini

tini decretis, & Gregorij XV. conſtitutione,iam clari Iuris ſit, quòd Nemo in locis, quantumuis exemptis, intra tamen fines alicuius Diœceſis exiſtentibus, idoneus reputari debeat ad Confeſſiones audiendas, niſi fuerit ab Epiſcopo Diœceſis, intra cuius fines exemptus locus exiſtit, approbatus: Præſenti decreto mandamus; vt quiſque Parochus, pro inconfeſſis, Parochianos illos omnes habeat, & numeret, qui ab huiuſmodi exemptis, & prætenſis Confeſſarijs, non approbatis à Nobis, vel Vicario noſtro Generali (si qui tales sint,) Abſolutionem obtinuiſſe, aiunt

Greg. XV. conſtitut. de exēptorum priuilegijs.

§ 12 Nullus Confeſſarius, etiam ex Regularibus, abſoluere á Cenſuris, vel Caſibus Nobis reſeruatis prǽſumat, ſub quouis prǽtextu Priuilegiorum, Confraternitatum, Corrigiatorum Sanctǽ Monicǽ, &c. abſque facultate, à nobis, vel Noſtro Generali Vicario conceſſa. Qui ſecùs attentare auſus fuerit, ſit ipſo facto ſuſpenſus ab audiendis confeſſionibus. Porrò ſi quam facultatem abſoluendi à Reſeruatis alicui conceſſerimus, in prǽſentia reuocata intelligatur.

De caſibus reſeruatis. *Ex decret. Sac. Congregat.*

§ 13 Impoſterum approbationes Confeſſariorum Regularium, pro prima tamen vice, Nobis immediatè (cùm fuerimus in Reſidentia) reſeruamus.

Approbationes Regularium immediatè à Nobis.

CASVS RESERVATI QVIBVS EST ANNEXA

Excommunicatio, vel Suſpenſio ipſo facto incurrenda.

EXCOMMVNICANTVR.

1 MAGI, Striges, Venefici, ſeù alij quicunque qui Sacramentis, aut ſacris Oleis abutuntur ad ſuperſtitioſa opera, vel qui quomodocunq; Maleficia, Incantationes, ſeù ſuperſtitioſe cuiuſuis generis opera faciunt, & animo alicui nocendi, vel cum expreſſa Dœmonis inuocatione: aut de facto alicui nocuerint.

2 Componentes, ſcribentes, affigentes Libellos infamatorios, & ij, qui opere (vt dicunt per macriatas) infamiam Proximo audent irrogare.

3 Parentes, vel Nutrices retinentes Infantem in lecto ante annum expletum, ſecuto caſu ſuffocationis.

4 Sponſi, qui antequàm contrahant legitimè Matrimonium, ſe carnaliter cognoſcunt.

5 Pro-

5 Proferentes turpia verba, coram Monialibus. Et qui amatorias litteras ipſis ſcripſerint, vel eas ſcienter detulerint.

6 Adminiſtratores locorum Piorum, qui exacto anno eorum adminiſtrationis, rationem ſui Officij, infra menſem non reddiderint.

7 In Suſpensionem, similiter ipſo facto incidiat Sacerdos, qui in libro, in quo deſcribuntur Miſſę celebratę, fraudem committit, deſcribendo, in illo Miſſas, quas uerè non dixit.

8 Confeſſarius quicunque abſoluere á cenſuris, uel casibus Nobis reſeruatis attentare prę-ſumpſerit, in Suſpensionem ab audiendis Confeſsionibus incidat ipſo facto, & similiter, qui pecuniam impoſitam pro Pœnitentia, sibi attribuit.

CASVS RESERVATI, QVIBVS NON EST ADIECTA EXCOMMVNICATIO.

1 SVperſtitioſa opera committens cum tacita tantùm Dœmonis inuocatione, & & ſine Animo nocendi alicui. Et qui ſciuerit facientes, componentes, vtentes, retinentes, res magicas, & Superſtitioſas, & non denunciauerit.

2 Blaſphemantes Deum, vel Beatam Virginem publicè atque praua ex conſuetudine.

3 Sacrilegi ob furtum rei Eccleſiaſticæ, vel ſanguinis, aut ſeminis in Eccleſia, voluntariam effuſionem.

4 Parentes, ſiue quicunque alij, ad quod Puellarum cura pertinet, ſi non fecerint, dictas puellas feſtis diebus Miſſam audire: prout in decreto, ſup. cap. 6. §. 10. ſeſſionis huius.

5 Legatis pijs ſatisfacere negligentes, & Notarij, qui illa infra Menſem poſt notitiam mortis Teſtatorum nōn denūciauerint noſtræ Curiæ in Ciuitate, vel Parochis in Diœceſi.

6 Ver-

6 Verberantes Patrem, vel Matrem.

7 Homicidium voluntarium, vel membri mutilatio, ſeù deformatio per ſe, vel per alium facta. Itemque Abortum procurare, ſecuto effectu.

8 Inceſtuoſi in primo, vel ſecundo gradu. Exercentes Sodomiam, vel Beſtialitatem. Et ſtuprantes Virginem vi, vel metu, aut ſub ficta promiſſione contrahendi cum ipſa, vel dotandi.

9 Concubinarij publici, itemque Vſurarij publici.

10 Teſtimonium falſum contra Proximum in Iudicio ſcienter perhibentes, vel ad id inducentes, nec non Iudices, Actuarij, Notarij, ſcribæ, tam Eccleſiaſtici, quàm Sęculares, temerè præſumentes in damnum tertij diminutè, & non integrè dicta Teſtium ſcribere, vel in Proceſſibus formandis, in ijs exemplandis falſitatem committere.

Declaratur, quòd in his caſibus non compręhenduntur pueri, nec puellæ ante duodecimum ętatis annum. Nec fœminæ quod ad peccata carnalia.

CAP. XVI·

CAP. XVI.

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

Conſulant Rituale.

§ 1 SAcramentum Extremæ infirmorum Vnctionis, à Chriſto Domino inſtitutum, ad Sanitatem Mentis, & Corporis conſequendam, vt ritè adminiſtret Animarum Rector, quæcunque Rituale Rom. præſcribit exactiſſimè obſeruet.

Quę aliquoties inculcanda.

§ 2 Doceat aliquoties populum Parochus, nequaquam eſſe extremum periculum expectandum; aut tempus illud, quo iam ægrotus vti ratione non valet; ſed tunc maximè iſtud Sacramentum ſuſcipiendum eſſe, cum adhuc ſupereſt aliquis rationis vſus; vt percipi poſſit quædam alacritas ſpiritualis, quam hoc Sacramentum, vna cum mentis ſanitate propriè affert; & ſimul aliqua haberi ſalutis corporis ſpes; quandoquidem hæc quoq; ſalus ſolet eſſe huius Sacramenti effectus: quatenus ea videlicet expedierit ſaluti Animæ, quæ finis eſt Sacramentorum omnium. Hinc illos generatim acriter arguat, qui ob humanas aliquas rationes, vel Parochum omninò

Concilia præſertim Trid. Seſſ. 14. c. 2. de Extrem. Vnct.

impe-

impediunt, vel ſub ipſam planè extremam vitæ periodum accerſunt.

§ 3 Huius incommodi vias intercludet Parochus, ſi quod ſui muneris eſt, & Sacri Canones præſcribunt, exequutioni mandauerit: ſi nimirum quotidie, peracto Miſſæ Sacrificio, Parochiam obierit, Ægrotoſq; inuiſerit. Nam ita euentus prouidens, huic malo occurret. Ad Sacramenta quippe Confeſſionis, Euchariſtiæ & Extremæ Vnctionis periculosè decumbentes excitabit. Quæ quidem Sacramenta ipſe per ſe, quoad fieri poterit, & non per alium miniſtrabit, de imminente morte monebit, & ad eam diſponet. Tum Agentes iam ſupremum diem, pijs monitis, commendatione Animæ ſecundum Rituale Romanum, allectatione ad actum perfectę contritionis, adſiſtentia vel ſua, vel ſaltem aliorum Sacerdotum, demùm omni ope, adiuuare ſtudebit. Quamobrem pio aliquo libello, ſeù methodo adiuuandi morientes, vt P. Polanci, & ſimil: carere non debebit. In eoq; conflictu ſuggerat, (in Ciuitate) vt mittat aliquem ad petendum á Nobis Epiſcopalem benedictionem, quam ſanè magna voluntate impertiemur.

Viſitandi Infirmi. Cōc. Agaten. & refertur, C. Præsbyter de celeb. Miſſ. Ad quæ excitanda. Quomodo iuuandi.

§ 4 In adminiſtrando hoc Sacramento, Cle-

Clericus adiutor.

ricum adminiſtrum adhibeat, alios etiam Sacerdotes inuitare poterit, vt ad orandum pro Ægroto conueniant. Cum autem longè extra Ciuitatem, ſeù Oppidum decumbit Ægrotus, nec vacat periculo mortis: Parochus vna cum Sacramento Euchariſtiæ; ferat quoq; Oleum Extremæ Vnctionis: in qua poſtmodum conferenda, pro morbi grauitate ſe regat. Semper porrò curet, vt in Ægroti domo paratam inueniat menſam cum Tobealijs, & Luminibus; cum panis mica, & Vaſculo aquæ; ad digitorum ablutionem, & Goſſipio, aut ſtupa ad abſterſionem Vnctionum.

Quę præparanda in ægroti domo.

Vulgo Bābace.

Monita ad Parochos.

§ 5. Caueat Parochus, ne quis in ſua parochia abſq; hoc Sacramento decedat è vita; nam præterquam, quòd de eo rationem redditurus eſt Deo; graues noſtri Iudicij pœnas ſubibit, nam etiam ſi Sacramentum Euchariſtiæ ſuſcipere aliquam ob cauſam non poſſit, ſuſcipiat tamen hoc, cum Sacramento Confeſſionis. Proindè mandamus, vt habeat peculiarem quendam librum: in quo ſingillatim ſuos Parochianos defunctos deſcribat, adnotato non ſolum anno, menſe, ac die, quo mortui ſunt; ſed etiam quòd Sacramenta adminiſtrata eis fuerint, vel non fuerint, & quæ; & an præſtitum eiſdem fuerit,

De libro mortuorū

vel non fuerit officium commendationis Animę. Vt in Viſitationibus omnia plenè cognoſcerę poſſimus.

CAP. XVII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

§ 1 CVM pręclara Eccleſiæ; tanquam benè conditæ Hierarchiæ; decora, ſeù omnis gloria filię Regis ſita: Chriſto auctore: ſit in Sacramento Ordinis, eiuſq; diſtinctione, ac varietate; quę eſt etiam diſtinctio, ac varietas Miniſtrorum rerum Diuinarum: Idcircò ſcilicet exactiſſimè Concilium Tridentinum, quę huc ſpectant, explicauit. Nos vero in eiuſdem Decretorum obſeruationem incumbentes, hęc edicimus. *Pſ. 44.* *Cõc. Trid. Seſſ. 23. & c*

§ 2 Cùm promulgabitur edictum Ordinationis; Parochi populum extimulent ad enixè Deum orandum, vt cùm pauci ſint Operarij in meſſe multa; ipſe, qui Dominus eſt meſſis, dignos eligat operarios. Populi Oratio.

§ 3 Decretum Concilij Tridentini, vt nomi- Faciendæ

denunciationes etiã pro prima Tonſura.
Cõc. Trid. Seſſ. 23. cap. 7. Reformat.
Pro Regno Neapolit. decret. S. *Congreg. 10 Kal. Iulij 1623.*

na, ac deſiderium eorum, qui ad Sacros Ordines promoueri volunt, publicè in Eccleſia proponantur; iam Decreto Sacrę Congregationis ad eos etiam extenſum eſt, qui initiari cupiunt prima tonſura, ſiue minoribus Ordinibus, atque adeò de horum quoque Natalibus, ętate, moribus, & vita, á fide dignis hominibus, diligenter inquirendum eſt. Quare Parochus, vel quiuis alius, cui id ſpecialiter commiſerimus, neutiquam contentus eſſe debebit teſtibus tantùm, á Parte productis; ſed adhibeat etiam alios, ſpectatę integritatis viros ad id examen. Tum litteras teſtimoniales, ipſam inquiſitionem factam continentes, ad Nos, obſignatas, mittat. Adeò verò plenè conficiantur, vt & omnia, ac ſingula, quę mox pro vnoquoque ordine ſuſcipiendo enumerabimus, teſtata contineant: atq; ita bene digeſta, & reportata ſit ſeries illorum omnium requiſitorum in prima totius Informationis pagina, adinſtar Iudicis; vt ex ſola illius inſpectione apparere poſſit, valida ne ſit Informatio, an defectiua.

Requiſita ad primã Tonſurã.

§ 4 Quicunq; igitur admitti impoſterum ad primam Tonſuram petierit, docere tenetur, primo de porrecta Nobis ſupplicatione, & de noſtro, vel Vicarij noſtri Generalis reſcripto pro

denun-

denunciationibus faciendis, & informatione capienda. 2. de denunciationibus inter miſſarum ſolemnia factis, & de Inquiſitione capta. 3. ſe origine Diœceſanum eſſe, vel iuxta Iuris diſpoſitionem alio nomine Nobis ſubiectum. 4. de legitimis Natalibus. 5. de Baptiſmo. 6. de Confirmatione. 7. de ętate ſeptem annis non minori. 8. de fide authentica Curię Secularis, quod nullo vnquam fuerit delicto notatus. 9. ſe litteris, ac Doctrinę Chriſtianę vacare, & Sacramenta frequentare. 10. ſe non eligere hoc vitę genus ad fraudem, vel effugiendi cauſa forum ſeculare. 11. Spem eſſe, ad maiores Ordines aſcendendi. Quę tria proxima capita conſtare ex Parochi relatione, vel alitèr poterunt ad arbitrium noſtrum.

§. 5. Is vero, qui Ordinibus minoribus erit initiandus. 1. docebit de primo, ſecundo, & nono capite ex ſupradictis. 2. de prima Tonſura, vel ordine proximè ſuſcepto, & de Tonſura, atque habitu Clericali geſtato. 3. de ſeruitio pręſtito Eccleſię, cui fuit adſcriptus. 4. de Sacramento Pœnitentię, quod ſcilicet ſingulis ſaltem menſibus illud obierit. 5. quod Parochum Doctrinam Chriſtianam tradentem, requiſitus, adiuuerit. Requiſita ad Ordines minores.

§ 6 Et

Requiſita ad Subdiaconatum.

§ 6 Et qui ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem erit promouendus, docebit: 1. de ſupplicatione, & Denunciationibus, vt ſupra. 2. Vigeſimum ſecundum ætatis annum attigiſſe. 3. Minoribus eſſe Ordinibus initiatum, & Tonſuram, atque habitum Clericalem geſtaſſe. 4. Eccleſiæ inſeruiſſe. 5. Singulis ſaltem menſibus ſacra Myſteria obijſſe. 6. Parocho doctrinam tradenti ſuam requiſitam operam pręſtitiſſe: & in ipſa doctrina Chriſtiana verſatum eſſe. 7. Quod tali ſcientia polleat, vel ſaltem talis ſcientiæ comparandæ ſpem præbeat; vt non indignus futurus ſit ſuperioribus Ordinibus. 8. Si cupiat diſpenſationem ſuper Interſtitijs, exhibeat teſtimonium neceſſitatis, vel vtilitatis Eccleſiæ. 9. Se liberè, ac pacificè poſſidere Beneficium Eccleſiaſticum, ſeu penſionem annuam ducatorum minimùm viginti quinque, deductis oneribus; vel Patrimonium, quod ſimiliter deductis oneribus, eandem ſummam verè reddat; non autem reddere tantùm poſſit: id quod probare, fide dignis teſtimonijs tenetur. Præterea dictum Patrimonium non conſiſtere in domo, quam ipſe Clericus incolat, neque in bonis mobilibus, aut Animalibus: ſed ex bonis ſtabilibus, nullo cenſu, aut ære alieno grauatis; nullaq;

laq; hypotheca, nec in parte quidem, affectis. Et ſi quid in Patrimonium, huic ordinando donetur ab aliquo, mandamus, vt pręter alias conſuetas cautiones, adijciatur hæc clauſula; videlicet quòd tam donans, quàm donatarius iureiurando aſſeuerent; huiuſmodi Rem verè, & liberè donari, ac recipi; vt verè ac liberè poſſideatur, ac retineatur, abſq; vllo dolo, vel fraude, vel pacto etiam poſt Ordinationem faciendo; quo minus Ordinatus eo vtatur, ac fruatur.

§ 7 At qui Diaconatus eſt inaugurandus, doceat. 1. de Supplicatione, Denunciatione, de tonſura, & habitu Clericali geſtato, de Seruitio Eccleſiæ, & adiumento exhibito quoad Doctrinam Chriſtianam tradendam Parocho, quod ſit in ipſa Doctrina Chriſtiana verſatus, & litteris vacet: & ſi diſpenſari ſibi velit ſuper interſtitijs, doceat de vtilitate, & neceſſitate Eccleſię. 2. doceat Vigeſimum tertium ętatis annum attigiſse. 3. Ad Subdiaconatum promotum fuiſſe, in eoque quoties miniſtrauerit. 4. Bis ſaltem ſingulis menſibus Confeſſionis, & Communionis Sacramenta frequentaſſe. Requiſita ad Diaconatum.

§ 8 Qui demùm ad Summum Sacerdotis gradum eſt euehendus; doceat. 1. Omnia, quę duobus proximè dictis ordinibus ſunt communia. Requiſita ad Preſbyteratum.

nia. 2. annum vigeſimum quintum attigiſſe.
3 in Diaconatus miniſterio inſeruiſſe Eccleſię.

Cōtra eos, qui doloſè ordinātur. *Pius II. & Trid. Seſſ. 23. C. 8. Reſor.*

§ 9 Operępretium nos facturos iudicamus, ſi redegerimus in memoriam omnium potiſſimùm hęc duo, quę Conſtitutionibus Summorum Pontificum, præſertim Pij II. & Conciliorum, decreta ſunt: alterum eſt, neminem abſq; Canonica diſpenſatione poſſe, vel extra tēpora, vel ante legitimam ętatem, vel abſq; litteris dimiſſorijs ſui Ordinarij, ad Sacros Ordines promoueri; ſub pœna ipſo iure Suſpenſionis ab executione Ordinis ſuſcepti: Et ſi hac ſuſpenſione durante, miniſterium illius Ordinis exercuerit, ſtatim Irregularitatem incurrere. Nos verò pœnam Carceris per annum, huiuſmodi ordinato decernimus. Alterum eſt, nemini licere, intra fines noſtrę Diœceſis, conferre cuiquam Ordines, vel dimiſſorias concedere, etiam ſi nullius ſe Diœceſis eſſe, vel exemptum arbitretur.

Ita Trid. Seſſ. 23. cap 10. de Reform.

Omnes veniant præparati ad Communionem.

§ 10 Quicunque Ordinandi ſunt etiam prima tonſura, non accedant, niſi Confeſſionis Sacramēto purgati, & ad Sacram Communionem recipiendam parati ſemper ad idem.

De prima Miſſa celebranda à *Preſbyt.* ordinato.

§ 11 Ad Preſbyteratum promoti, primam Miſſam ne celebrent, niſi priùs fuerint à Magiſtro Cęremoniarum, alioue Sacerdote, à Nobis

depu-

deputando, approbat ſuper cœremonijs, & tribus Miſſæ: & ita facultatem obtinuerint.

§ 12 Patrimonium, ad cuius titulum quis ordinatus eſt, nullo modo diſtrahatur, aut alienetur: niſi ex Eccleſiæ redditibus, vel aliunde poſſit competenter, qui ſacris initiatus eſt, per totam vitam ſuſtentari. Id quod nobis conſtare debet, vt poteſtatem alienandi faciamus, alioquin alienatio ſit eo ipſo nulla, & inualida, pro vt nos hac Conſtitutione nullam, & inualidam fore decernimus. *De Patrimonio nõ alienãdo.*

§ 13 Donationes Bonorum, Clericis non antè fiant, quàm á Nobis poteſtas fiat, cuius formam cum clauſulis opponendis (vt fraudibus occurramus) in noſtra Cancellaria ſeruandam, trademus, & aliter factas, nullum firmitatis robur, decernimus obtinere. *Donationes quomodo faciendę clericis.*

CAP. XVIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

§ 1 CVM Matrimonium apud Chriſti fideles, ratione rei, cuius Symbo- *Pie celebrandum.*

Ad Ephes. 5. lum eſt, Vnionis videlicet Chriſti Domini cum Eccleſia, magnum ſit Sacramentum, ac Diuinam gratiam conferat: maximè nobis elaborandum eſt, vt eo, quo decet modo, celebretur, ne gratiæ diuinæ obex ullus opponatur.

Declaret Parochus obligationes. § 2 Parochus, ſecundùm Catechiſmi Romani inſtitutiones, declaret Sponſis, antequám Matrimonium ineant, obligationes, & munia, quæ ſunt propria illius ſtatus, quem ſuſcipiunt; Atque, vt Vir Sponſam humaniter, & honorificè tractet; & bonis moribus totam familiam inſtituat. Vxor vero ſubiectà ſit Viro, & obtemperans in omnibus, quæ Chriſtianæ pietati non aduerſantur: filios piè educet: domi libenter ſe contineat, &c. Deinde iniungat, ut antequàm contrahant Matrimonium, vitæ maculas confeſſione abſtergant, & Sacro Chriſti corpore reficiantur. Iniuriam enim maximam Sacramento huic irrogarent, ſi lethali reſperſi noxa, contraherent. At ritè illud ſuſcipientes, & gratiam ſacramentalem recipiunt, & faſcinationes, ligaturas, maleficia, &c. Deo propitio, irrita ſperare poſſunt futura.

C. eſt orda & ſequ. 33 q. 5.

Qua de re monendus filius familias. § 3 Præterea si sint filij familias, moneat, ne inſcijs parentibus, nedum inuitis, rem tanti momenti aggrediantur; ſed potius debito in hac re

eos honorē proſequantur. Denunciationes autem tunc demùm à Parocho fiant, cum Vir, & Mulier, aut eorum Parentes, vel ij, qui Puellę curam gerunt eas petierint. At ubi probabilem ſuſpicionem habeat de puellæ minus libera voluntate, rem totam cautè exploret; & ſi eam liberè non conſenſuram prænoſcat; manum ipſe à denunciationibus retrahat, & Nos de re tota certiores faciat. De Denũciationibus. Quid cum dubitatur de voluntate Puellæ.

§ 4 Hæ Denunciationes affigantur quoque in Valuis Eccleſiæ Parochialis, vt omnibus ſint expoſitę. Et quidem ſi Contrahentes ſint ex diuerſis Parochijs, neuter Parochus poterit eos coniungere, niſi poſt Denunciationes, in vtraq; Parochia factas. Et ſi fuerint ex Diuersis Diœcesibus, ex noſtra ſcilicet, & aliena, requiritur inſuper noſtræ Curiæ licentia: cùm pręter fidem de denũciationibus, in aliena Diœcesi factis, conſtare etiam oporteat de Approbatione, ac Legalitate Curati, ab Ordinario illius interponenda, & in noſtra Curia recognoſcenda. Denũciationes exponendæ in Valuis. Quid cum ſunt ex diuerſis Parochijs. Quid ſi ex diuerſis diœceſibus.

§ 5 Quo die poſtrema denunciatio fit, eodem nequaquam Matrimonium contrahatur, abſq; noſtra licentia, vel Vicarij Noſtri Generalis: vt cuilibet detur locus, & opportunitas ad denunciandum. Non contrahatur die vltima denunciationis.

Quid ſi de morte cõiugis non conſtet, niſi clamore vulgi. *Ad teſt. c. An non 24 q. 3 & 34. q. 1. & 2.* *Quid de Alienigenis.* *Falſi teſtes excomunicantur.*

§ 6 Non eſt permittendum alteri Coniugi ſuperſtiti, vt ad alteras nuptias tranſeat, si per ſolum vulgi ſermonem mortem alterius coniugis cognouiſſe dicat, donec de veritate obitus illius plenè conſtet in noſtra Curia per legitimas probationes. In qua etiam Curia ad vnguem ſeruanda eſt Inſtructio Congregationis Generalis Inquiſitionis de Vrbe, cum alter contrahentium eſt alienigena, & ex remotioribus regionibus. Si quis autem in re tanti momenti falſum teſtimonium dicere auſus fuerit, excommunicationis ſententia ipſo facto innodatus cenſeatur.

Excõmunicantur, qui impedimentum falſum deponit. *Depoſitiones qualiter recipiendæ.*

§ 7 Similiter excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat, qui impedimentum non verum malitiosè deponere præſumpſerit, quamobrem huiuſmodi depoſitiones in ſcriptis tantùm recipiantur, & cum ſubſcriptione denunciantis, vel cùm quis ſcribere neſcit, coram duobus teſtibus.

In 4. & 5. non impediantur. *Excommunicãtur in gradu prõhibito.* *Clemẽtin. eos qui de conſangu. & affin.*

§ 8 Qui in quarto, & quinto Conſanguinitatis, aut affinitatis gradu coniuncti ſunt, liberè permittatur eis poteſtas contrahendi: niſi obſtet aliquod aliud canonicum impedimentum. Moneat tamen Populum excommunicationis latæ á iure contra eos, qui ſcienter in gradu prohibito præſumpſerit contrahere, ſpeq; ipſa proinde impetrandæ

petrandæ diſpoſitionis priuari.

§ 9 Dum diſpenſatio ſuper gradu prohibito à Sancta Sede Apoſtolica poſtulatur, non permittant Parochi, vt ſimul, ſponſi cohabitent; & multò minùs, vt contrahant, ante quàm litteras diſpenſationis Vicario noſtro Generali præſentauerint, & decretum vigore illarum obtinuerint. Alioquin ſi, ijs non præſentatis, contraxerint, vel ſe carnaliter cognouerint, noua egebunt diſpenſatione, De diſpenſationibus *Ita Sac. Congreg. Conc.*

§ 10 Ad euitandum incontinentiæ periculum: ijs, qui tantùm Sponſalia contraxerunt, non concedatur, niſi raro, atq, in proſpectu parentum, aut Tutorum, &c. vt ſimul conuerſentur: vt clam, & ſoli, omninò prohibeantur. Quod ſi demum euenerit, vt carnaliter ſe cognoſcant, incidant ipſo facto in Excommunicationem Nobis reſeruatam. In quo ſtatu Excommunicationis, caueant Parochi ne Matrimonio eos coniugant: donec à Nobis obtineant abſolutionem, & Pœnitentiam (qua alijs etiam poſſint eſſe exemplo) ac demum contrahendi licentiam. De cõuerſatione ſpõſorum. Excommunicantur ſi ſe cognoſcant carnaliter antequàm cõtrahant.

§ 11 Eos etiam, qui ſumma, & eſſentialia capita Doctrinæ Chriſtianę, penitus ignorant, differat Parochus matrimonio iungere, donec, Nos conſulat, non parum enim dedecet, Coniu- Quod ſi ignorent Doctrinã Chriſtianã *Supra cap. 3.*

ges vix intelligere, aut etiam neſcire illius elementa diſciplinæ: qua poſtea expolire ſuos filios tenebuntur. Siquidem lumine ſanctæ fidei manifeſtum eſt, inter Chriſtianos matrimonium primo, & principaliter ad eam rem eſſe inſtitutum, vt filij procreentur, & educentur, non ſolum eo modo, quem exigit naturalis perfectio naturæ humanæ, ſed etiam ad cultum exhibendum Deo, iuxta normam Religionis Chriſtianę, quo hac ratione Eccleſia Chriſti poſſit durare perpetua. Huic autem rei nihil magis obeſt, quam Coniugum ignorantia.

Celebrentur matrimonia in Templo.

§ 12 In Templo tantum (cum propriè is locus ſit miniſterio Sacramentorum deſtinatus) matrimonia ineantur. Niſi ſpecialiter à Nobis, vel Vicario noſtro Generali ſecùs permiſſum fuerit. Volumus etiam vt in caſibus iure ſtatutis, Sacerdotalis benedictio primarum Nuptiarum omninò ſumamur; antequàm Coniux ad domum Viri deducatur, ſeu alio quouis modo ſimul cohabitare incipiant: propterea Parochus, cùm accerſitur, vt adſit, &c. vtrumq; Coniugem moneat, ne benedictionem illam omittant, ſub pœna Eccleſiaſtici Interdicti. Quos autem inobedientes viderit, ad Nos fideliter deferat.

De benedictione primarū Nuptiarum.

§ 13 Ani-

§ 13 Animaduertant inſuper Parochi Vagos, palanteſq; qui cum flagitioſis vt plurimum mulierculis oppida circumeunt, quærant ab eis legitimum in ſcriptis teſtimonium coniugij: nam ſi ſola aſſeueratione illud affirment, eorum nomina, & miniſteriorum genus, ad Nos ſtatim deferant, vt communi bono proſpicere poſſimus. De Vagis, & ignotis.

§ 14 Excommunicationem ipſo facto, vt ſuperiùs decreuimus, incurrant quicunq; pernicioſis ſuperſtitionibus, ligaturis, maleficijs &c. vti præſumpſerint ad matrimonia, eorumq; vſus impediendos, &c. Malefici, &c. ſunt excommunicati. *Supra cap. 10.*

§ 15 Conficiant demùm Parochi accommodatum librum; in quo nomina inſcribant eorum; qui in ſua Parochia matrimonia contrahunt; iuxta normam Ritualis Romani. De libro Matrimoniorum. *Ritual. Rom.*

CAP. XIX

DE SACRAMENTALIBVS

§ 1 SAcramentalia quoq; magno debemus cultu, ac Veneratione proſequi. Itaque mandamus primùm, vt noſtræ Cathe- Sacriſta Cathedralis hebeat librum, & ad quem vsũ.

Templo tantùm dentur, & ad nullius domum deferantur; niſi Iuſpatronatus illius Eccleſię quis habeat, vel legitimo impedimento detineatur. Idem quoque faciant de Palmis, ſeù ramis Oliuarum benedictis; de Cereis, Agni cœleſtis Imaginibus, & ſimilibus. Excitent vſum ſuſcipiendi Sacrum Cinerem die prima Quadrageſimę; & aſpergendi omnium Ædes aqua luſtrali, quod quidem facient ipſi per ſeſe Parochi, ſed non die ipſo Sabbathi Sancti, quo poſſint Confeſſionibus excipiendis operam accuratè nauare; ſed alio poſt Paſcha die. Similiter curare debent, vt puerperæ, cùm primùm poſt partum domo prodeunt, ad Eccleſiam veniant, vt gratias Domino referant, & benedictione à Sacerdote afficiantur, iuxta formam Ritualis Romani.

Palmæ. Cerei Agni.

Benedictio domorum.

Puerperæ benedictio.

§ 4 Acriter moneat, ne quis audeat aliquam ex ſupradictis rebus ſuperſtitioſo opere contaminare. Excommunicationis planè ſententiam ipſo facto incurrere ſtatuimus eum, qui Sacramentis (quod Deus non permittat) vel Sacris Oleis abuti ad maleficia, Incantationes, auſus fuerit. Et abſolutionem Nobis reſeruamus.

Excommunicantur abutentes Sacramẽtis, & Sacris oleis.

Reſeruatur abſolutio.

SESSIO III.

PEractis reliquis cæremonijs de more: promulgata à Secretario fuerunt de mandato eiuſdem Eminentiſſimi Domini, ſequentia decreta, & primùm circa auguſtiſſimum, ac Diuinum Miſſæ Sacrificium.

CAP. I.

DE CELEBRATIONE MISSARVM.

Præparatio.

§ 1 SAcerdos celebraturus, præmittat oportet eam, quæ tantum myſterium decet, præparationem. Vitę noxas confeſſione deleat; ſi ſint veniales, ſaltem bis in hebdomada; at ſi lethales, eodem die, atque adeò antequàm celebret, ſi adſit copia Confeſſarij. Peracto ſacro, debitam cœleſti Regi gratias agat. Quamobrem Tabella ad id confecta, in aliquo Sacriſtię opportuno ad orandum loco, expoſita habeatur. Veſtibus non vtatur, niſi à Nobis benedictis.

Ornatus Sacer.

§ 2 Decreta

§ 2 Decreta Sacræ Congregationis Concilij, ſuper celebratione Miſſarum in cuiuſq; Eccleſiæ Sacriſtia habeantur expoſita, & ijſdem Nos inhærentes, mandamus vt in qualibet Eccleſia, in qua ſunt onera, & obligationes Miſſarum, duo libri conficiantur, & in altero quidem inſcribantur dilucidè, ac diſtinctè omnia onera Miſſarum, explicando ſimul nomina, ſeù titulos ſingulorum onerum; Verbi gratia ex fundatione, ex legato, &c. Benefactoris N. vel N. In altero autem libro ſcribantur Sacra, quæ ſingulis diebus fiunt; manu eiuſdem Sacerdotis, qui aliquo obligationis nomine in ea Eccleſia celebrauerit, appoſito die, & menſe, atque etiam cauſa ob quam celebrauerit. Ideo volumus, vt quotannis huiuſmodi liber nouus conficiatur, & vetus ſeponatur cuſtodiendus, quippe nobis poſtmodum in viſitatione exhibendus. Decreta de celebr. Miſſ. Libri conficiendi.

§ 3 Si quis autem Sacerdos fraudem hanc admittere auſus fuerit, vt in eo libro deſcribat Sacra, quæ vere non peregit, ſit ipſo facto ſuſpenſus, & à ſuſpenſione, abſolutio ſit nobis reſeruata. Pœna ſuſpenſionis ipſo facto, reſeru. cõtra fraudes.

§ 4 Sacriſtis inſuper mandamus, vt poſt dies octo à fine cuiuſque Menſis, excerpant ex prædictis libris catalogum earum Miſſarum, quas menſe illo, ſequentibuſq; octo permiſſis diebus De Miſſis non celebratis,

quiſque Sacerdos, ad illas obligatus, fortè non celebrauerit, vel alijs celebrandas demandauerit. Hunc catalogum Nobis primùm, vel Vicario noſtro Generali; deinde etiam Procuratori Eccleſiæ, qui adnotare id in ſuo libro teneatur, oſtendant, poſthæc in Sacriſtia palam Tabellæ affigant. Procuratori autem Capituli curę ſit, vt quàm citiſſimè poterit, ſacra illa ab alijs peragantur. Quamobrem poteſtatem poſthac facimus retinendi apud ſe carolenum cum dimidio pro qualibet Miſſa non celebrata, ex fructibus, diſtributionibus, & emolumentis, etiam extraordinarijs, atque incertis, quę Sacerdotibus *illis* (ſiue Canonicis, ſiue Hebdomadarijs Choro ſeruientibus, ſiue alijs, qui Cappellanias in eadem Eccleſia obtinent, & choro non ſeruiunt) obuenerunt, vel proximè obuenient: carolenus quidem alicui alteri Sacerdoti, rem Diuinam, loco illius peragenti, dabitur: dimidium verò, in Sacriſtiæ vtilitatem cedet. Quòd ſi Sacriſta, aut Procurator Capituli prædicta omnia menſibus ſingulis exequutioni mādare omiſerit; vicenorum pęnam carolenorum incurriſſe ſciat, cùm vt Sacrificia peragantur, tùm vt negligentia animaduerſione non vacet. Sin autem in manus Procuratoris, vel alterius ab ipſo deputati, non

Initur ratio ſatisfaciendi oneribus.

Pœnæ.

ſatis

ſatis nummorum Sacerdoti, qui non ſatisfecit, obuenientium, viginti dierum ſpatio peruenerit; Res ad noſtrum Vicarium deferatur, vt opportunè prouideat.

§ 5 Eadem fieri mandamus tam in Eccleſijs alijs huius Ciuitatis; quàm per totam Diœceſim à Sacriſtis, atq; ab illarum Rectoribus; ſub eadem pœna. Vt ita tandem in libris perſolutorum onerum, plenè ſatisfactum eſſe, appareat. Et hæc ſanè ratio cognoſcendi ex huiuſmodi libris, oneribus miſſarum eſſe ſatisfactum, ſatis etiam eſſe debet Reuerendæ Cameræ Commiſſarijs. Proinde ſi Partibus, aut Sacerdotibus noua inſuper moleſtia inferatur, ad Nos ſtatim Parochi deferant. Idem ſeruetur vbique.

§ 6 Conſtitutionem præcedentis Synodi innouamus, pro ſingulis Miſſis ſingulos carolenos eſſe congruam eleemoſynam; quindecim verò pro ſingulis Anniuerſarijs. Cum verò agetur in poſterum de perpetuis oneribus, quota portio ſingulis Miſſis attribuenda fuerit, tunc Nos pro noſtra poteſtate taxabimus. Taxa pro Miſſis.

§ 7 Sacerdotes, qui Miſſam cum certa eleemoſyna ſuſceperunt celebrandam; nequaquam poterunt eandem alteri celebrandam committere, retenta ſibi, eiuſdem eleemoſynæ parte ali- Quot eleemoſynæ tot Miſſæ.

qua.

qua. Et qui ratione Beneficij, Cappellæ, legati, & ſimil. Miſſam celebrare tenentur, ſi pro alia miſſa eleemoſynam recipiant, minimè poterunt eadem Miſſa vtrique obligationi ſatisfacere. Quotidianas verò, & manuales eleemoſynas pro Miſſis, ita demum poterunt recipere, ſi onera antea impoſita adimpleuerint; vel intra modicum tempus poſſint omnibus omninò ſatisfacere. Satisfaciant autem per ſe eo die, eoq; in altari, quod Benefactor præſcripſerit, ni graui detineantur impedimento.

Sacra Cõgreg. Concil. in reſp. ad dub.

Eleemoſynæ quotidianæ

An per alios. quoue in Altari.

§ 8 Officijs Miſſarum, quæ Sancta Sedes non approbat: Caueant omnes, ne vtantur, cuius generis sũt miſſæ Sãcti Gregorij, quę pro Viuis, & Defunctis circumferuntur, Quindecim Auxiliatorum; & de Patre Æterno, quas Sacra Rit. Congreg. vel prohibuit, vel reiecit, vel damnauit.

Quædam Officia Miſſarum prohibita.

Sacra Rit. Congreg. 8 Aprilis. 1628.

§ 9 Sacriſtæ, Eccleſiarumq; Rectores, ſub pœna arbitrio noſtro, nullum exterum Sacerdotem ſacra facere ſinant, quin teſtimoniales litteras oſtendat; quibus Vicarius noſter Generalis ſubſcripſerit.

De exteris Sacerdotibus.

§ 10 Cùm Sacerdos primùm ſolemnia Miſſarum init; poterit vtique apud Altare conuerſus ad Populum, oblationes, & eleemoſynas ab Offerentibus

Ita Sac. Cõgr. Cõc. ad D. Carolũ Arch. Med. & ad Archiep. Pãor

ferentibus accipere, non autem Eccleſiam perambulando, has eleemoſynas quærere. Qui ſecùs fecerit, ſit omni iure collectarum oblationum ipſo facto priuatus; & hæ ſtatim Sacriſtiæ illius Eccleſię acquiſitę eſſe cenſeantur. *Cõc. Trid. Seſſ. 22. cap. de obſeruandis &c.*

§ 11 Vbi plures ſunt Sacerdotes, quotidie; aut ſaltem diebus feſtis vnus ſub lucem celebret: & inter ſolemnia Sacrificij, ſuper pręcipuis Chriſtianę Doctrinę capitibus, accurrentes ruſticos, ac reliquos inopia impeditos, alloquatur. Hoc autem onus per omnes in orbem eat. Miſſa ſummo mane. *Sacra Cõgreg. ad Epiſ. Veſtan. 14 Februarij. 1592.*

§ 12 Vbi haberi Clerici poſſunt, non admittantur Laici ad miniſterium præſtandum Sacerdoti Sacrificanti, neque item ipſi Clerici abſque ſuperpelliceis; ſub vnius aurei pœna, quoties ſecùs factum fuerit. Clerici porro qui obedientes non erunt, graui pœna, etiam Carceris plectantur: ſtabiturq; Iuramento Sacerdotis, id affirmantis. Vnuſquiſque igitur Clericus ſuum ſuperpelliceum habeat, vel intra duos Menſes illud ſibi omninò paret. Altari non inſeruiant niſi Clerici, nec niſi linteati.

CAP.

CAP. II.

DE DIVINIS OFFICIIS

De Horis Canonicis

§ 1 POST Auguſtiſſimum Miſſæ Sacrificium, de reliquis diuinis Officijs, quibus Dei cultus, & laudes continentur, edicimus primùm. Vt Horæ Canonicę ſuo tempore, & ea qua decet, reuerentia, ac diſtinctione, non autem curſim, diminutè, ac perturbatè recitentur; ſeruatis ad vnguem ritibus ſtandi, genuflectendi, caput inclinandi, ſedendi, &c.

Clem.Graue.de celebrat.

De libris Choralibus.

Chorales Libri, ſi minus apti ad vſum Chori ſint, vtpote laceri, vel vetuſtate corroſi amoueantur; alijque intra ſex Menſes poſt promulgationem huius Synodi, à Procuratoribus Eccleſiarum, cōparentur: videlicet Pſalteria cum cantu grandioris characteris, Graduale, Antiphonarium, Martyrologium, Directorium Chori, & Chorale maioris Hebdomadę.

Quæ Officia ſolēni ritu cātanda.

§ 2 In prędictis Eccleſijs (quales ſunt in Maioribus noſtrę Diœceſis Oppidis) iuxta antiquiſſimum Orthodoxæ Eccleſię inſtitutum, Officia ſolemnitatum primę claſſis (ideſt Veſperę Matutinum cum laudibus, & Miſſe) ſolemni ritu canan-

canantur, atque adeò Sacerdotes omnes, ac Clerici in Parochialis Eccleſiæ Chorum, niſi ob eandem cauſam alibi intereſſe teneantur, dictis diebus conueniant; ſub pœna vnius aurei, quoties defecerint. Alijs verò feſtis diebus conuenire eodem teneantur ad Miſſam ſolemnem, ad Veſperas, & cùm Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum palam exponit, vel proceſſionaliter defertur. Hac enim ratione neceſſitati, atque vtilitati Eccleſiæ: quas ob res conferri iuxta Tridentini diſpoſitionem Ordines ſacri debent: aliquatenus prouidetur. — Quinā accedere teneantur ad Chorum. Pœna.

§ 3 Clerici ſimiliter omnibus feſtis diebus eam Eccleſiam debeant, cui à Nobis adſcripti fuerint, & pro Rectoris Eccleſiæ iuſſu in ſua miniſteria incumbant; ſub pœnis noſtro arbitrio infligendis. In aliqua idcircò Tabella omnium Sacerdotum, reliquorumq; Clericorum Nomina inſcripta in Sacriſtijs habeantur. — De ſeruitio præſtando Eccleſijs à Clericis. Nomina inſcripta in ſacriſtijs.

§ 4 In ea tantùm Eccleſia, in qua reconditur Sancti alicuius Corpus, aut Caput, vel Brachium, aut Crus, ſiue inſignes Reliquiæ, nobis priùs conſultis, recitetur Officium duplex; non autem in alijs: ſicùt nec ratione altaris, alicui Sancto occurrenti dedicato. — De officio dupl. ratione Reliquiarium: *Ita Sacra Rituũ Cõg 8. April: 1628.*

§ 5 Dum Diuina Officia decantantur, in Cho- — Laici extra Chorum.

Feminę extra Preſbiterium.
C. Inbib. de cohab. Cler. & mul.

ro Laici ne ſedeant, ſed diſcedere (vrbanè quidem, & ſine ſtrepitu) omninò cogantur: quemadmodum permitti non debet, vt Præsbyterium fęminę ingrediantur; ſicuti Sacri Canones cauerunt.

Delyrarũ concentibus.
Concil. Trid. ſeſs. 22. decr. de obſeruãd. &c. & ex c. Irreligioſa, de conſecr. d. 3.

§ 6 Muſicorum concentus Inſtrumentorum, Lyrarum ſcilicet, & ſimilium, cùm ſint ad ſæculare carmen, ac choreas, quàm ad pietatem, accomodatiores: per Rectores Eccleſiarum, & Adminiſtratores locorum piorum, nullo modo inpoſterum fieri liceat in ipſis Eccleſijs, dum diuina Officia celebrantur.

De Sacra Suppellectili cõſeruandà à Sacriſtis.

§ 7 Porrò ne ſacra ſupellex, communi vſui deſtinata, in priuatum quorundam commodum conuertatur; caueant Omnes, ſiue Sacerdotes (etiam Canonici Metropolitanæ) ſiue Clerici, ne quidpiam ſacri ornatus, in proprijs Capſis etiam in Sacrarijs exiſtentibus; nedum extra Eccleſias, recondant. Sed omnia, quæ Eccleſiarum ſunt, à Sacriſtis in communibus armarijs, ac repoſitorijs cuſtodiantur. In præſens autem si quis quicquam ita retinet, ſtatim Sacriſtæ conſignet. Qui autem contra, non reſtituerit, vel aliquid reconderit, pœna ſex aureorum, eidem Sacriſtiæ applicandorum, afficietur.

O CAP.

CAP. III.

DE ECCLESIIS, ET ALTARIBVS ERIGENDIS, REPARANDIS, &c.

§ 1 CVM Sacri Conciliorum Canones cauerint, ne quis Eccleſiam ædificet, niſi crucem priùs ibi Epiſcopus figat, atriumque deſignet; atque is, qui ædificare vult, præfiniat, quæ ad Luminaria, ad cuſtodiam, & ad ſtipendia cuſtodum ſufficiant, & oſtenſa donatione, ſic tandem ædificet. Nos ijſdem canonibus inhærentes, mandamus Parochis omnibus, vt inpoſterum nullibi Eccleſiam de nouo conſtrui, vel Altare in Eccleſijs denuò erigi, aut loco mutari à quopiam ſinant: niſi priùs viderint in ſcriptis facultatem, à Nobis, vel Vicario noſtro Generali conceſſam. Quod ſi exequi neglexerint, iuſtis punientur pœnis.

Noua templa, aut Altaria non erigantur, niſi de noſtra licẽtia. Cõc. Aureliañ. ref. c. nemo de cõſecr. d. 1. C. nullus prsbyter. de conſecr. d. 1.

§ 2 Cappellas, quæ propè Oppida viſuntur, curent Parochi ſtatim ianua, cancelliſque obſerandas: nec Animantibus relinquantur peruiæ. Quæ verò patentes ſunt, aut in apertis campis ſitæ, in ijs Aras euertant, ac demoliantur; ne ſuperſtitioſę hominum malignitati ſint expoſitę

De Cappellis campeſtribus. C. placuit de conſecr. d. 1.

Reparationes: C Quicunq; de Eccl. ædific. vel repar.

§ 3 Eccleſiæ reparentur omninò: Meminerint Beneficiati omnes, ſe ſacris canonibus ad ſacra tecta teneri. Quare negligentium diſpendio ea omnia, quæ in peius ruunt, reſtauranda curabimus: nec ipſi animaduerſione carebunt.

De Altaribus Iuris Patronatus.

§ 4 Quoniam in nonnullis Eccleſijs, Altaria quædam, in quibus Laici homines Iuſpatronatus habent, non amplius in vtilitatem Eccleſiarum, ſed potiùs in illarum quoddam impedimentum cedunt, eò quòd nulla, aut exigua ſunt dote locupletata, quod ſacro, & neceſſario carent ornatu, quod ſunt vetuſtate ruinoſa: Nos idcircò præſenti decreto Patronos omnes monitos volumus: Quatenus niſi ipſi ad ſex menſes poſt promulgationem Synodi, huiuſmodi altaria reſtaurauerint, congruenter dotauerint, debitiſq; inſtruxerint ornamentis: Nos euerti ea mandabimus; quo facto priuati ſuo iure cenſebuntur patroni; niſi alteri cuipiam iudicauerimus expedire concedenda eſſe, vt ab eo tanquam à Patrono reficiantur, locupletentur, atque ornentur:

De dotationibus Altarium.

Dotationes verò inpoſterum ne admittantur, quæ duodenos ſaltem aureos in ſingulos Annos non reddant. Eleemoſina autem perpetua pro ſingulis Miſſis, ſit carolenus cum dimidio. Cętera autem ornamenta ſaltem ſint hæc; decens

Effigies

Effigies, ſex Mappæ, duo candelabra, Crux, Ara ſacra lapidea, Tabella ſecretorum, Puluinar, Pallium, & Scabellum, vulgò Bradella.

CAP. IV.

DE CAMPANARVM VSV.

§ 1 QVATER Campana maior diebus ſingulis pulſetur, iuxta Cathedralis inſtitutum, ac morem: ideſt in Aurora, in Meridie, & ad occaſum Solis, ad Beatam Virginem ſalutandam, & prima noctis hora, ad orandum pro Animabus Defunctorum, quæ in Purgatorio expiantur. Quoties ſigulis dieb9s pulſãdę certò.

§ 2 Dignoſci debet in modo pulſandi Campanas, Solemnitatum, Officiorumq; diuerſitas, præſertim in Eccleſijs Collegiatis, & Parochialibus. Dum extollit Sacerdos, celebrans ſolemniter, cæleſtem hoſtiam, detur de more publicum ſignum Campanæ maioris: vt moneantur abſentes, & Dominum venerentur. Varietur modus pulſandi.

§ 3 Cathedrali Eccleſiæ, ſeù Matrici debitus habeatur honos, atque adeò nullius alterius Eccleſię, Sabbato Sancto nulla Eccleſia

pulſet ante Matricem. cleſię, etiam Regularium, pulſentur Campanę die Sabbathi Sancti; priuſquàm ſuas pulſauerint Matrices Eccleſię in Diœceſi, ac Cathedralis in hac Ciuitate: ſub pœnis in Conſtitutione Gregorij XIII. contentis.

Conſtit. Greg. 13.

Signũ pro Agonizantibus, & partu periculoſo. § 4 Cum quis animam agit, detur (iuſſu Parochi) Campanę signum: detur itidem pro periculosè parturientibus, vt conſtituti in his diſcriminibus, fidelium precibus iuuentur.

Non pulſētur in vſus profanos, nec pro pęnis. § 5 Nullo pacto Eccleſiarum Campanę pulſentur in vſus profanos, aut in pœnarum ſignificationem. Is verò, cui munus pulſandi incumbit, si debitis horis nõ pulſauerit, aut quicquam fecerit contra prędicta, meritas pœnas ſubſtinebit.

De Cãpanili. § 6 Turris autem, ſeù Campanile ſemper ſit claui ſua clauſum. Abſq; Sacriſtę, ſeù Cuſtodis facultate nemò illud ingrediatur: quam ille facultatem nunquam concedat Pueris. nulli in eo ludi committantur, nihil profanum, nihilque immundum patretur. Scopis item ſępè purgetur. Siquis autem Fęminam illuc introducere pręſumpſerit, cùm principalis introducens, tùm verò cuſtos ipſe pœnam grauem ſubibit.

CAP. V.

CAP V.

DE HONORE ECCLESIIS HABENDO.

§ 1 TEmpla, venerabilia vt pote loca, ad orandum Deum atq; adorandum, tanquam ad finem deſtinata conciliare ſolent ipſa loci Sanctitate, celebratione Myſteriorum Sanctę fidei, & frequentia aliorum fidelium; poſtremò donis, quę ſpecialiter ibi à Dominò conceduntur, Animis quidem religione, diuinis autem rebus cultum, vt cum maximè exactum. Hac de cauſa non niſi ſubmiſſo, deuotoq; animo adiri debent: ab eiſq; profana colloquia, vel ſuſpecta pręſertim cum fęminis, riſus, & huiuſmodi alia prorſus eliminari, & multo quidem magis impudica, inhoneſtaq; qualiacumque. Non permittantur deambulationes, congreſſus, & tractatus negotiorum, pręſertim tempore officiorum, miſſarum, & prędicationis; similiter nec ſtipulationes contractuum, niſi fortè in cauſa Pacis; neq; Actus cuiuſuis generis iudiciales. Conuentus Laicorum hominum, ſeù Parlamenta, Rectores Ecclesiarum non sinant in illis fieri: quem-

Quo animo ſint tēpla adeūda, quęque in eis nō ſint permittenda.

C. Decet. de Immun in 6.

Cap. cum decorē. de vita, & honeſt. Cler

Concil. Trid. ſeſſ. 22. decret de obſeruand. &c.

quemadmodum nec pati debent, quempiam auerſo aſpectu ab Altari, in quo aſſeruatur Sacra Euchariſtia irreuerenter contra ſedere: Item genua non flectere, dum eleuatur in Miſſa Cœleſtis Hoſtia: & ad Baptiſmatis, vel aquę luſtralis fontes, aut ad ipſa Altaria adhęreſcere: Denique Mendicos per Eccleſiam diſcurrere ſub pœnis in Conſtitutione PII V. latis, atq; alijs quoq; noſtro arbitrio. Domum namque Dei decet omnis Sanctitudo, vt in ea orationi vacetur, fidei Myſteria colantur, Chriſtus Dominus in Euchariſtia adoretur, & alia id genus.

Ps. 92. *Matt. 21.*

In Templo non aſſeruentur fruges &c. C. *Relin qui de cuſtod. euchar.* Tēplum ſit mundum. Canes fugandi. Sacriſtiæ elegantia, & mūditia

§ 2 Ligna, fruges, aliaq; id genus, cuiuſcunque ſint, vel ipſorummet Parochorum, nullo vnquam tempore in Eccleſiam inferantur aſſeruanda: ſub pœna duorum aureorum, locis pijs aſſignandorum. Videant vt ſemper Templum ſit mundum, & ſaltem ſemel ſingulis hebdomadis ſcopis purgetur. Canes quoq; ex Templo abigantur; & in omnibus grauitas, & Decorum ſeruetur. Sacriſtia in primis, atq; omnis ſacer ornatus ſit mundiſſimus; pręcipuè tamen niteat hęc vigilantia in veſtibus Sacerdotalibus, in ſuper pelliceis, ſed potiſſimùm in Calice, corporali, & reliquo diuini Sacrificij inſtrumento, ſub pœna noſtro arbitrio Sacriſtis, & Parochis infligenda.

genda.

§ 3 Ijdem omnem diligentiam adhibeant, vt qui ad Eccleſiam confugiunt, eius immunitatis preſidio perfruatur: atq; adeò curent, ne vlla inde vi extrahantur: nulloq; prætextu, aut queſito colore alimenta negentur: iniuria, aut moleſtia ſiue illis, ſiue Eccleſiæ ratione illorum inferatur. At ſi nihilo minus quidpiam cōtra fuerit à temporalis Poteſtatis miniſtris (proprię ſalutis oblitis) attentatum; tunc non erit quidem Eccleſia Caſtrorum more cuſtodienda; ſed inculcandæ, quàm maximè poterunt pontificię excomunicationes; vt ſaltem cæleſtium horum fulminum metu, ab incepto deſiſtant. Verum ſi fuerit tandem illata vis, & violata Immunitas, illicò Vicarius foraneus, & eo abſente, Parochus diligenter inquirat, informationem conficiat, & ad Nos mittat. Porrò quamuis iure hoc ſancto, quo intemerata redduntur Templa, non intendamus priuare quempiam, qui Apoſtolicis Sanctionibus frui eo debeat; ſed potius illud omnibus firmare: tamen ijſdem Eccleſiarum Rectoribus mandamus, vt cùm criminoſus quis triduo plus in Eccleſijs moratus fuerit, ad Nos ſtatim deferant; vt quid facto opus ſit, prouideamus. De immunitate Ecclesiæ. Ex 17.q.4.

P CAP. VI.

CAP. VI.

DE ECCLESIASTICIS BENEFICIIS.

Onera Beneficiatorũ *Num. 18. Cap. fin. extra de reſcriptis.*

§ 1 CVM Beneficia, perſonis Eccleſiaſticis conferantur pro miniſterio, quo ſeruiunt Domino in Tabernaculo noui, & æterni fœderis, atque adeò pro Beneficiatorum labore; (propter quod Pontificio Iure cauetur; Beneficium non dari, niſi propter Officium) meminiſſe oportet eos, qui illa obtinuerint, ſua maxime intereſſe, in diuinum cultum, atq; in Eccleſiaſtica munia incumbere: diſtrictè quoque iuberi, vt ſtudiosè pariter, & deuotè, Horas Canonicas recitent: demum teneri, eam curam Beneficiorum habere, vt frugifera, & fructuoſa ſemper conſeruentur, & ſi quidpiam occupatum ab alijs repererint: (quod diligenter inueſtigare debebunt,) omni ſtudio recuperanda curare.

Cap. dolẽtes de celebr. Miſſarum.

De obligatione horarum canonicarum.

§ 2. Qui priuatim, Horas Canonicas recitat, ab exterioribus rebus, multoq; magis à Confabulatione ſe expediat, vt attentè perſoluat. Alio ritu non vtatur, quàm Breuiarij Romani: alioquin

quin oneri non ſatisfacit. Qui autem hac ratione munus ſuum non adimplet, & qui recitare omittit, fructus beneficij non facit ſuos; ſed Pauperibus, vel Eccleſiæ, cui inſeruit, erogare tenetur: nec ſibi tuta conſcientia poterit adſcribere.

§ 3 Quicunq; tabulas, ſeu ſcripturas, aut inſtrumenta, aliaue id genus ſcripta, quæ ad bona Beneficiorum, Eccleſiarum, Parochialium, Menſę Archiepiſcopalis, & demùm cuiuſuis loci pij, pertinent, apud ſe in præſentia detinet; intra menſem Eccleſiarum Rectoribus, quorum intereſt, aut Nobis exhibere teneatur, computabitur vero menſis, à die, quo Parochus, decretum hoc denunciauerit Populo, quod quidem Parochus facere teneatur ſtatimac in illius notitiam venerit. Elapſo autem Menſe, is, apud quem aliquid illorum fuerit, tanquam doloſus detentor, atque occupator diſtrictè mulctabitur. De ſcript. beneficiorum, & rerum Eccleſiæ exhibēdis.

§ 4 Conſanguinei, Affines, &c. Clerici cuiuſuis vita functi; teneantur ſimiliter intra menſem à die obitus, Bullas, ſcripturas, omniaq; id genus monimenta, ad Eccleſiaſtica iura pertinentia, Nobis exhibere. Ac proinde Vicariorum foraneorum ſit, prædicta ab illorum manibus vindicanda curare. Cōſanguinei Clerici defūcti reſtituant Scripturas pertinētes ad Eccl. *De inuentario bonorum cōſic. inf. cap. 8. §. 3.*

P 2 § 5 Caueat

De ſimonia, & confidentia. v. tot. lib de ſimonia Hormiſda PP. epiſt. ad Epiſ. Hiſpan. Concil. Chalcedõ. c. 2.

§ 5 Caueat quiſque in beneficijs impetrandis à deteſtabili labe Simoniæ, à Summis Pontificibus, paſſim damnata. Nec ſolùm ab illa; ſed etiam á crimine Confidentiæ: cuius iniquitatem Pius V. item damnauit: cùm ſcilicet quis beneficium recipit ea conditione, vt poſt aliquid temporis renunciet alteri; aut ſinant, fructus ſiuè omnes, ſiue partem ab alio percipi; aut ſimili alio pacto. Qui autem in Confidentiæ crimen inciderit, ſciat ſe ipſo iure, beneficio eſſe priuatum; & ad alia in perpetuum reddi inhabilem, & in iuris ſubſidium excommunicationis ſententiæ eſſe ſubiectum: huiuſq; abſolutionem Summo Pontifici eſſe reſeruatam: Ad huius vero criminis probationem admitti poſſe Teſtes ſingulares, etiam aliás criminoſos: Denique tanquam Simoniacos puniendos pariter eſſe Notarios, mediatores, & Teſtes, qui ſcienter illis operas ſuas in Simoniaco contractū dederint. Præterea quiſq; caueant, tam ne adeò ambitioſis precibus beneficium vacans per ſe, vel per alium poſtulet, vt propterea indignus illo reddatur, ac proinde cęteris omnibus ſit poſthabendus.

Penæ contra ſubſtituẽtes ali-

§ 6 In priuationem ſimiliter Beneficij, atq; inhabilitatem, vt ſupra, incurrit, Pauli IV. conſtituti-

ſtitutione, is, qui in Romana curia, aut alibi, pro ſe ad examen, quod ſubire debeat, alium ſe magis idoneum, mentito nomine, ſubſtituit: vt hac tandem via beneficium obtineat. os ad examen.

§ 7 Qui á Patronis Beneficiorum pręſentatus, ſeu nominatus in poſterum fuerit; in primis iureiurando firmare teneatur, ſe ſceleris Simonię, ac Confidentiæ immunem eſſe: iuxta formam iuramenti in calce libri apponendam. Verùm ſi periurus inuentus quis fuerit, & periurij, & Simoniæ pœnis mulctabitur. Præſentati ad Beneficia iurent, & quid.

§ 8 Quicunque in futurum, non à Nobis, ſeù noſtro Vicario Generali, ſed ab alio quopiam, ex delegatione ſcilicet Apoſtolica, in poſſeſſionem alicuius Beneficij miſſus fuerit, ſiue in hac Ciuitate, ſiue in Diœceſi, intra menſem à die adeptę poſſeſſionis, teneatur, certiores Nos de hac re facere, ſub pœna amiſſionis medietatis fructuum vnius Anni. Monitos autem omnes, qui à Sancta Sede Apoſtolica de beneficijs prouiſi fuerint, volumus; vt litteris Apoſtolicis expeditis, ſtatim ab Apoſtolico Nuncio Neapolitano litteras poſſeſſionis, & Relaxus impetrent. Quarum vi, & in poſſeſſionem mittantur, & pendentes fructus faciant ſuos, pro rata temporis ſuæ poſſeſſionis, iuxta Pontificum Sanctiones. Quādo, & a quibus faciendæ ſint publicationes: & vbi. *Pius V. cõſtitut. in-*

At

cip. cupientes. At, qui à Nobis, aut Succeſſoribus noſtris beneficium obtinuerint; expeditis bullis; abſq; Reu. Cameræ litteris, in poſſeſſionem mitti poterunt, & ſuos facere pendentes fructus, pro rata temporis ſuæ poſſeſſionis.

Conſtitut. Greg. 13 incip. Humano vix iudicio.

§ 9 Quicunque Beneficium, in fauorem alicuius, aut permutationis cauſa, in manibus Pontificis reſignatum obtinuerint: teneantur (iuxta Canonicas Sanctiones) intra ſex Menſes à Conceſsione gratiæ, Reſignationem vnà cum Bullis expeditis, inter Miſſarum ſolemnia publicandam curare, tùm in noſtra hac Cethedrali Eccleſia, tũm etiam in Eccleſia Beneficij obtenti, & Valuis huius Cathedralis affigendas: ſub pæna nullitatis Gratiæ, & incapacitatis ad alia beneficia obtinenda. Idem autem modus promulgandi intra tamen tres menſes, & ſub ijſdẽ pænis ſeruetur, ſi facta reſignatione liberè in manibus noſtris, ſucceſſorumuè noſtrorum, vel etiam ex cauſa permutationis, iuxta ea, quæ iura diſponunt, beneficium impetrauerint.

Quinã, & quando teneatur emittere profeſſionem fidei. *Concil. & Conſtitut.*

§ 10 Quicunq; denique fuerint de Dignitate, vel Canonicatu in Cathedrali, aut de quibuſuis beneficijs, curam Animarum habentibus, prouiſi; teneantur, profeſſionem fidei, ſaltem intra duos menſes à die poſſeſſionis, emittere; ſub pęna amiſ-

na amiſſionis fructuum, vſque ad tempus, quo illam emittant; vti ſupra etiam iuxta canonicas Sanctiones præſcripſimus.

Pontif. vt s ſ. ſſ. 2. c. 8 Seſſ. 23 cap. 1.

CAP. VII.
DE PAROCHIIS.

§ 1 IVRE ſanè optimo Pontifices, & Concilia in eam venerunt ſententiam; vt cùm frequentior eſſe Populus, in plures diſtribueretur Parochias; et præfixis vnicuique limitibus, conſtituerentur paſtores; qui in ea parte Gregis Chriſti, ſeù in ea Parochia, quæ ſibi commiſſa eſſet: plenius ſtudium adhibere poſſent, tum diſtinctiùs cognoſcendo oues, earumq; neceſſitates; tum promptiùs remedia ſalutis, & diuina Sacramenta miniſtrando. In hac igitur Ciuitate, cùm olim non niſi Cathedrali totum onus animarum incubuerit; curaq; per plures Sacerdotes ita exercita ſit, vt maior omnino certitudo immediatorum Paſtorum deſideraretur: iam tandem, quod in votis vel maximè habebamus, opere compleuimus; quoniam, adſcriptis ſuis

Erectio nouarum Parochiarum in hac Ciuitate.

Cõcil. Trid ſeſſ. 14 c 9. Reform. Cap. Conſtãtino cap primis cap Eccleſ. 13. q. 1. cap. Paſtoralis de his, quæ fiũt à prçl. Trid. ſeſſ. 21. c. 4. Reform.

Cathe-

Cathedrali limitibus,& tres alias Parochias (quę fuit Dei gratia) ereximus, aſſignatis cuique proprijs iuribus, limitibus, & redditibus, quamobrem in ſpem magnam,& quemadmodum confidimus veriſſimam adducti ſumus, longè meliùs poſt hac promotum iri, & diuinam gloriam, & Proximorum ſalutem.

Parochi reſideant. inhabitent domum Eccleſiæ. *Trid. ſeſſ. 6. Refor. c. 1. & ſeſſ. 23. Refor. c. 1.*

§ 2 Ipſi autem Parochi,non ſolùm in aſſignata ſibi Parochia reſidere tenentur, vt gregi ſuo inuigilent, & aſſiſtant: verùm etiam Parochialem, quæ eſt ad Eccleſiam, domum, non verò paternam,eos volumus habitare,(niſi iuſtam aliquam ob cauſam, nobis aliquando aliter videretur.) quò expeditiores, in paſtoralia munia poſſint incumbere. Hoc enim expreſſe mandamus, ſub pœnis in Concilio Tridentino latis contra non reſidentes, vt quiſque Parochus per ſe immediatè curam Animarum exerceat, non per alium Sacerdotem, aut Cappellanum, nec culpa liberabitur, si ceſſationis cauſam conferat in ętatem, aut valetudinem: nisi hæc ipſa cauſa fuerit Nobis, & cognita, & probata.

Exerceant per ſe curã animarum *Sac. Congreg. Concil. nullius 3. Iulij 1591.*

Contra nõ reſidentes. *Ex Concil Trid. ſeſſ. 6. cap. 1. Reform.*

§ 3 Maiori culpa is irretitur, qui & ſuę dignitatis, & quod caput eſt, ſuę Conſcientię oblitus, vt Domino alicui temporali famulatum pręſtet, commiſſi gregis,more mercenariorum deſertor,

& curam

& curam negligit, & perſonaliter non reſidet in Parochia: quapropter ſeueriori in hunc animaduerſione vtemur.

§ 4 Cùm autem per aliquot dies abeſſe oportebit à Parochia; id ſibi Parochi, non niſi cognita per Nos, & probata prius cauſa, atque in ſcriptis obtenta licentia diſcedendi, & ſimul altero in ſuum locum (á nobis approbato) cum debita mercedis aſſignatione ſubſtituto, licere ſciant. Volumus quoque vt cum primùm poſtea redierint: nobis ſuum reditum ſignificent: quod non oportebit facere, ſi vnam, aut alteram noctem dumtaxat extra Parochiam (ſubſtituto tamen relicto) peregerint.

Quid faciendum, cum oportebit abeſſe. *Ita Trid. ſeſſ. 23 cap. 1. Reform.*

§ 5 Præterea quoniam parochialia munia, & multiplicia, & omnia planè grauiſſima ſunt: quę vt adimpleantur, ſicut oportet, vigilantiſſimum vſquequaq; Virum requirunt: Idcircò perpetuo hoc decreto cautum ſit, vt nullo prorſus modo Parochi poſthac, Commiſſariorum munus ſuſcipiant exercendum: Alioquin grauiſſimas pendent pœnas ſecundùm arbitrium noſtrum.

Non ſuſcipiant munus Cõmiſſariorum.

§ 6 Inter cætera parochialia onera, commendatum primùm habeant Parochi Sanctum munus docendi Doctrinam Chriſtianam; deinde munus etiam inſtruendi Clericos, & eos omnes,

Pleraq; cõmendata Parochis.

qui Clericali militiæ cupiunt adſcribi; tum prędicationem Verbi Dei: denique obſeruantiam Synodi: quæ, vt videre eſt, maiori ex parte, in fide, atque induſtria Parochorum repoſita eſt.

De litania Corona, ſeu Roſa. B. Virg.

§ 7 Singulis Sabbathis, & Vigilijs Beatæ Virginis decantentur in Parochialibus Eccleſijs: præcanente Parocho: Litaniæ in honorem Beatę Virginis, poſt horam Completorij: Dominicis verò diebus poſt Veſperas Corona, ſeù tertia pars Roſarij: & hortandus eſt pro viribus populus, vt ad hæc accurrat, & piè, religioſeq; recitet.

Adeunda Eccleſia parochialis.

Cōc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. Reform.

§ 8 Sacroſancti Concilij Tridentini decretis inhærentes, fideles omnes Ciuitatis huius, & Diœceſis, quo ad fieri poteſt, hortamur; vt etiam ſi plura ſint Templa, in quibus Sacris intereſſe quiſque poſſit: tamen feſtis ſaltem diebus Parochialem Eccleſiam adeant; vt ibi poſſint excipere, cùm æternę ſalutis monita; tùm verò denunciationes multiplicis generis, quæ ibi fiunt: videlicet dierum feſtorum per hebdomadam, Ieiuniorum ſeruãdorum, excommunicationum, matrimoniorum, & rerum aliarum, quæ iuſſu noſtro promulganda erunt.

Miſſa primo diluculo dieb⁹ ferialibus.

§ 9 In ea Parochiali Eccleſia, cui plures Sacerdotes ſeruiunt, vnus eorum primo mane celebret ferialibus diebus; ac per omnes id onus in

Orbem

Orbem eat : Vt ita commoditati Opificum, agriq; cultorum proſpiciatur. Verùm diebus feſtis Miſſa parochialis celebretur ea hora, quæ ſit toti Populo magis opportuna. Nec vllo pacto anteuertere illam, ob reſpectum, vel metum potentioris alicuius, vel plus æquo prorogare Parochus debet: propterea, qui imperio, miniſuè facit, vt Parochus intempeſtiuè omninò celebret, atque adeò reliquus populus Re diuina priuatus remaneat: incidat ipſo facto in excommunicationem.

Diebus feſtis celebretur hora congrua.

Excõmunicantur ij, qui terrẽt Parochum vt celebret alia hora.

§ 10 Cuilibet Parochiali Eccleſię Clericus aliquis ſit adſcriptus: qui totum Eccleſiæ ſeruitium præſtare, Miſſis miniſtrare, & Parochum in collatione Sacramentorum adiuuare poſſit, & debeat. Si cui autem Eccleſiæ non fuerit hactenus Clericus vllus adſcriptus; poſt huius decreti promulgationem, ſignificet Nobis, vt prouideamus.

Cuiuſq; Eccleſiæ ſeruitio deputetur Clericus.

C. vt quiſque. de vit. & honeſt. Cleric.

 CAP. VIII.

CAP. VIII.

DE PAROCHIALIBVS IVRIBVS.

Iura Eccleſiæ conſeruāda, recuperanda, &c.

§ 1 QVOD verò attinet ad Parochialia Iura, circa bona Eccleſiaſtica conſeruanda, vel recuperanda: In primis ea, quæ Parochus: cum parochiale beneficium obtinet, iuratus promittit; incunctanter, ac fideliter executioni mandare meminerit: ea ſunt, bona eccleſiaſtica non alienare; alienata recuperare; & iura, atque Actiones ab vſurpatoribus vendicare; & certus eſſe debet, grauem ſibi pœnam conſtitutam eſſe Iudicio Dei, ſi humanam ob cauſam conſanguinitatis, aut Potentiæ, atque adeò ob affectum, aut metum, vel demùm ob incuriam ſiuerit, eiuſmodi Bona, iniuſtè vſurpari ab aliquo, aut detineri: cùm talia bona non niſi patrimonium Chriſti ſint, aſſignata miniſtris Ecclesiæ pro labore miniſterij Animarum. Quare si quid maioris difficultatis fuerit in his procurandis expertus; ad Nos deferat, vt cenſurarum gladio poſſimus, Occupatores à temerario auſu deterrere.

§. 2 Pro-

§ 2 Propterea ſemel ſaltem in Anno, cùm maior eſt Populi frequentia, decretum Concilij Tridentini contra Occupatores bonorũ Eccleſiaſticorum, vernacula lingua denunciet, moneatque abſolutionem ab Excommunicatione, in eo decreto contenta, reſeruatam eſſe Summo Pontifici. Atque ob vſurpationem bonorum, aut iurium cuiuſcunq; beneficij, vel loci pij, anathemati, alijſq; ibi contentis pœnis ſubijci, iuxta declarationem S. Congregat. Concilij. Contra occupatores. *Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 11. de Reform*

§ 3 Conſequenter mandamus, vt quiſque Parochus, immò & quiſque Beneficiatus, aut loci pij Adminiſtrator habeat, vel conficiat ſtatim Inuentarium bonorum, ad ſuam Eccleſiam pertinẽtium. Leges verò, & normam Inuentarij, ſeorſum iam pręſcripſimus. Ex eius autem frequenti lectione, atque ex prædiorum, ſeù bonorum viſitatione obſeruet, an intacta permaneant. Cautionem inſuper hanc, & diligentiam, ad finium, ſeù terminorum notitiam perpetuò conſeruandam adhibeat; vt cum in vicini, ac finitimi loci poſſeſſionem nouus aliquis dominus venerit; totam hanc mutationem, in Inuentarij margine adnotet, explicato nomine noui illius poſſeſſoris, ac temporis, quo in poſſeſſionem miſſus eſt. Deinde hoc ipſum Nobis Inuentariũ bonorum Eccleſiæ. *Glos. cap. mani 12. feſta. q. 1.*

bis ſignficet, vt adnotari pariter poſſit in exemplo eiuſdem Inuentarij, quod eſt hic in noſtro Archiuio repoſitum. Si autem nunc primùm fiat Inuentarium, ſtatim tranſmittatur huc exemplum, vt aſſeruetur apud Curiam, cum alijs.

Melioramẽta.

§ 4 Stabilia Eccleſiæ bona, etiam quoad eam partem, ſecundùm quam à priore Parocho meliorata fuerunt; ad Eccleſiam pertinent, iuxta Sac. Canonum diſpoſitionem, quare curet omnino nouus Parochus, qui in locum prioris vita functi, ſubrogatus eſt, vt ea ab hæredibus integrè reſtituantur. Renuentes verò ad Nos deferat. Porrò de omnibus alijs Beneficiatis intelligendum idem erit.

Ne fiant conſanguineis locationes Eccleſiæ. C. *indicatũ.diſt.89.*

§ 5 Caueat item Parochus, ne Bona, Cenſus, fructus Eccleſiæ locet conſanguineis, aut affinibus, abſque Noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis facultate: Ne confundi Eccleſiaſtica, cum Laicalibs bonis, progreſſu temporis, contingat.

Onera perpetua.

§ 6 Inſuper caueat, ne onera perpetua miſſarum ſuſcipiat; nec donatione inter viuos, nec teſtamento, ſeù legato, &c. abſque noſtra facultate. Cõſtare namq; prius debet, id & Eccleſiæ vtile eſſe, & oneribus ſatisfieri poſſe.

De decimis. *Concil.*

§ 7 Cùm Decimarum ſolutio debita ſit Deo, atque adeò Animarum paſtoribus; & qui eas

dare

dare noluerint, aut dantes impedierint; res alienas inuadunt. Ferendum non eſt, quod pleriq; Diœceſani populi, qui ad decimas tenentur, faciunt; dum vel ſoluentes impediunt, vel ſubtrahunt ex toto, aut ex parte, vel etiam peioris fruges conditionis tribuunt. Parochorum itaque ſit, ſemel etiam in Anno, Populis his inter miſſarum ſolemnia, explicare decretum de decimarum ſolutionibus Concilij Tridentini, monereq; eoſdem, quod, niſi integrè, & vt debent perſoluerint, ad excommunicationis ſententiam, decreto illo contentam, deueniemus. *Trid. ſeſſ. 25. reſor. cap. 12.*

§ 8 Oblationes inter Miſſarum Solemnia fieri olim ſolitæ, quas Pontifices in reparationes, atque ornatum Eccleſiarum introduxerũt; queq; frigeſcente charitate, ab vſu ferè receſſerunt, curent Parochi, vt iterum ad vſum retrahantur; atq; adeò vt feſtis diebus, propoſito decentis generis marſupio, (in quod nemo introſpicere poſſit), aliquid Deo offeratur, dum in Miſſa canitur offertorij Antiphona. **De oblationibus.** *L. omnis Chriſtianus. de cõſecrat. d. 1.* *Vulg.* **Buſcula.**

Verùm oblationes in tres diuidantur ſtatim partes. Prima ſit eorum, quibus olim conſueuerat obuenire: altera impendatur in Eccleſiæ vtilitatem: Tertia demùm, loci pauperibus diſtribuatur. *Iuxta cap. conceſſo. & ſequent. 12 q. 2.*

CAP.

CAP. IX.

DE SEPVLTVRIS.

Cōmunes ſepulturæ. *Pius V. cōſti. incipiē. cū primū Apoſt.* Ne excauetur ſolum.

§ 1 Fidelium Cadauera humari, non niſi in Cœmeterijs, aut communibus ſepulcris deberent. Proinde permittendum non eſt, vt pro ſepulchro, pars aliqua pauimenti Eccleſiæ excauetur; niſi commenſuratus ſimul fornix conſtruatur: ne videlicet progreſſu temporis, corrupta lignea capſa, pars illa, de totius pauimenti æqualitate, declinet.

Sepultura pro Clero.

§ 2 Parochialis quæq; Eccleſia, alteram pro Clero ſepulturam habeat, alteram pro Laicis. Qui quidem Laici nouas, & peculiares Sepulturas ne conſtruant; abſque noſtra licentia obtenta verò licentia; ſepulcralis Lapis, qui apponetur, ne emineat; neque inſculptum in eo ſit Sacrum Crucis ſignum, aut quid ſimile. Altari denique, tribus ad ſummum cubitis propior eſſe non debet. Sepulchra itaque, quæ proximiora ſunt, aut ſtatim repleantur humo, aut auulſis ſuperioribus lapidibus, ita totum æquetur ſolum, vt illorum ſignum non remaneat: nulliuſq; Defuncti corporis oſſa in eis poſtmodum

Ex reſcript. ſac. Cōgreg. ad Archiep. Tranen, 10 Non. 1599

dum

dum recondantur. Quæ ſi nec poſt tres à publicatione Synodi menſes, exequutioni mandata fuerint, altaria Eccleſiaſtico Interdicto ipſo facto ſubiaceant.

Pœna Interdicti.

§ 3 Parochis cœmeteria curæ ſint, ne ſcilicet, operiantur Vepribus, neque omnibus ſemper patentia relinquantur; quin potius exciſis dumis, firmo muro cincta, & ianua, clauiq; clauſa, cuſtodiantur.

De Cœmeterijs.

§ 4 Nullus Parochorum in ſua Eccleſia alienum Parochianum ſepulturę mandare prę́ſumat, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis. Super iure porro ſepeliẽdi in hac Ciuitate, nihil innouari mandamus.

Nemo alienum Parochianũ ſepeliat.

c ex parte, &c. cum liberum ſit. de ſepult.

§ 5 Miſerabilium perſonarum cadauera gratis ſepulturę tradat Parochus: immò lumina ipſa, cæteraq; ad exequias ſpectantia, ſumptibus exhibeat, vel Eccleſiæ, vel ſuis. Paterna ſiquidem charitate tenetur eorum oſſa ſpectare, quorum dum viuerent, Pater in Chriſto appellabatur. Hinc Eccleſiaſticos omnes, vt cum maximè admonemus; ne ſe auidos, aſperoſq; funeralium obuentionum exactores, præbeant; ſed potius liberales, & in pium hoc opus ſponte propenſos, oſtendant. Conſequenter mandamus, ne plus ab exteris expoſtulent; quam ſoleant à Ciuibus

De funeribus Pauperum.

Ne ſit auidi exactores funeralium.

ſuis, ac conterraneis exigere. Cætera verò, quæ præcedenti Synodo circa funera, ac defunctorum Officia conſtituta ſunt, in præſentiarum, quatenus opus ſit, innouamus.

Nullũ corpus ſepeliatur, niſi poſt viginti horas.

§ 6 Defunctorum Corpora, ſpatio minimùm viginti horarum, domi ſuæ, aut in Eccleſia ardentibus hinc inde luminaribus cuſtodiantur: & ante id tempus nequaquam ſepulturæ mandentur. Si quis autem contra, ac decretum eſt, facere præſumpſerit, meritis arbitrio noſtro afficieur pœnis.

De comitandis exequijs. *Tobiæ lib.* Ne fiant noctu.

§ 7 Moneat ſæpe populum Parochus, tùm rationibus, tùm ſcripturarum exemplis: vt, dum iuſta mortuis perſoluuntur: ipſi & exequias comitentur, & Sacrificijs, pijſque precibus interſint. Propterea noctu exequiæ ne celebrentur, niſi ex noſtra ſpeciali permiſſione. Ratio autem exequiarum deſumatur ex Rituali Romano, in quo ſatis quoque declaratur; qui nam ſint Eccleſiaſtica ſepultura priuandi.

De ijs, qui priuandi ſunt Eccleſiaſtica ſepultura. Modus incedẽdi Clericorum.

§ 8 Sacerdotes, cæterique omnes Clerici ſuperpelliceo induti funera celebrent, Clericalẽ pileum geſtantes, & omnem modeſtiam præſeferentes. Qui ſecùs fecerit, partem eleemoſynę, ſibi obuenientem, amittat; & hæc inter cœteros, decreto huic obedientes, diuidatur.

§ 9 Dum

§ 9 Dum aliqua Diuina Officia recitantur in Choro, ſi contingat, funus tunc temporis ad Eccleſiam deferri, vt Sacrificia defuncto impendantur; non niſi peractis Officijs, Sepulturæ mandetur. Statimq; Sepulchri labia lapide, & calce diligenter perfuſa, obturentur. Dum recitantur diuina officia ne aperiantur ſepulturæ.

§ 10 Parochus quandoque à defuncti proſpectu occaſionem arripiat dicendi ad Populum (breui videlicet Sermone,) de Vanitate, breuitate, ac periculis huius vitę; de Æternitate, &c. Sermo ad Populũ ex præſentia Defuncti.

§ 11 Cadauera defunctorum, Eccleſiaſticæ iam Sepulturæ tradita, aut in Eccleſiam illata, nequaquam Parochi permittant, vt à Laicalis Poteſtatis Miniſtris exhumentur, & inſpiciantur, quò poſſit conſtare de corpore delicti. Cùm manifeſtum ſit indicia in Criminalibus, deſumenda non eſſe ex Eccleſia. Cadauer ne recognoſcatur à Laicis miniſtris. *Ita reſcripſit Sacra Cong. ad Epiſ. Colien. 22. Nou. 1619*

§ 12 Vt autem nõ tantùm defunctorum Corporibus, verùm etiam (quod quidem magis intereſt) eorundem Animabus, quatenus iuuari ſuffragijs, præſertim Sacrificio Altaris poſſunt, prouideamus, ſtatuimus, vt Archiepiſcopo proximè defuncto, anniuerſaria ſacra, recurrente die eius obitus, fiant. Die autem tertia Nouembris, quę eſt prima poſt Commemorationem omnium fidelium Defunctorum, eadem Conſtituãtur quædã Suffragia.

anniuerſaria fiant omnibus planè Teatinis Archiepiſcopis, vita functis. Fiant quoque eadem poſtridie; ideſt die quarta Nouembris; Canonicis, Presbyteris, & alijs omnibus è Clero, qui diem ſuum obierunt. Nec fient tantùm in noſtra Cathedrali, ſed in omnibus quoque per Diœceſim collegiatis, ſeù Receptitijs Eccleſijs.

§ 13 Pręterea in hac Ciuitate cùm è vita decedit Canonicus; reliqui Canonici tria Sacra pro illius Anima gratis faciant; alij verò Omnes Sacerdotes vnum. Cùm autem decedit Sacerdos non Canonicus; omnes Sacerdotes, etiam Canonici, vnum Sacrum faciant pro illius anima. Per Diœceſim verò hoc ſeruetur, vt in ſingulis circulis, ſeù Regionibus, cum quis Sacerdos mortem obit; cœteri omnes Sacerdotes, vnum Sacrum pro illo faciant.

1 Vicariatibus.

CAP. X.

DE CANONICIS, CAPITVLO, ET PVNCTATORE.

§ 1 CVM Dignitatibus, ac Canonicis Eccleſiarum Cathedralium, eccleſiaſtica

.ſtica Diſciplina potiſſimùm innitatur: Ipsique ſint, qui Epiſcopos, opera, atq; officio iuuare conſueuerint; meritò Tridentina Synodus cauit, tales eos eſſe debere; qui pietate planè prçcellant, alijſq; exemplo ſint. Vt igitur huius noſtrę Cathedralis Capituli (quod quidem grauitate morum, ac rei eccleſiaſticæ ſcientia pollet) rectum Regimen perpetuò conſeruetur, Conſtitutiones, à bon. mem. Archiepiſcopis prædeceſſoribus noſtris Vulpiano Vulpio, & Marſilio Perutio ſancitis, ad vnguem ſeruentur.

Trid. ſeß. 24. cap. 12. de Refor.

Seruentur Conſt. antiquæ.

§ 2 Singulis diebus Sabbathis conſtituatur, ex Canonicis Sacerdotibus, Hebdomadarius, qui per hebdomadam in Choro Horas canonicas ordinet, & cęteris initia, & tonos pręcat. A Veſperis itaq; cuiuſcunque Sabbathi Omnes in orbem, onus hoc ſubire teneantur. Ità enim fiet, vt ęqualiter onera portentur ab omnibus. Qui igitur muneri ſuo, cum ſibi contigerit, defuerit; Diſtributionibus horarum illarum, quas non direxit, etiam ſi pręſens alioqui illis fuerit, careat.

Hebdomadarius.

Pœna.

§ 3 Sit in Sacriſtia expoſita Tabella; & in ea inſcripta ſint nomina Sacerdotum, iuxta ordinem ſeruandum in Miſſis celebrandis. Det autem operam Sacriſta, vt pręſcriptus ordo omninò teneatur; idq; ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis.

Ordo ſeruandus in Miſſis celebrandis.

fligendis. Duobus verò ad ſummum, ideſt Canonico, atq; alteri Hebdomadario, ſeù Sacerdoti, liceat ſimul ſacris operari; aut ſimul in Sacriſtia cum veſte, ornatuq; Sacerdotali permanere: Ne pluſquam duos à Choro abeſſe, contingat. Nihil tamen obſtabit, quin poſſint ex cauſa locum celebrandi, mutuo quodam conſenſu (admonito Sacriſta) inter ſe commutare.

Onera Miſſarum noua ne ſuſcipiãtur, &c *Decreta de celeb. Miſ.*

§ 4 Noua onera perpetua Miſſarum à Capitulo adiri nequeant; non facta ſuper hoc à Nobis inſcriptis poteſtate, iuxta diſpoſitionem Sanctiſſimi D. N. VRBANI VIII.

De vacationibus. *Sacra Cõg.*

§ 5 Dies Vacationis Canonicis conceduntur iuxta formam, ſeù reſcriptum Sacrę Congregationis, & ſecundum diem reſcriptum declaramus; Neminem vacare poſſe diebus Dominicis, feſtiſq; pręceptis, ab vtriſq; eorum Veſperis, vel Quadrageſima, & alijs, vt ex Tabella conſtabit.

Aſſiduitas celebrãdi.

§ 6 Nemo ex Canonicis, alijſq; Sacerdotibus omittat, Dominicis, & feſtis diebus Miſſam celebrare: & ſi ſemel, atq; iterum impedimento aliquo detineantur; ſignificent illud Nobis; vt, eo impedimento tantùm permanente, excuſatione digni habeantur. Ad noſtram namque paſtoralem curam pertinet, iuxta canonicas Sanctiones, proſpicere; vt Sacerdotes munus in hac

re ſuum

re ſuum adimpleant.

§ 7 Duo omninò Punctatores (quod præcitatis Conſtitutionibus cautum extat,) alter à Nobis, alter à Capitulo deputandus eligantur. Hi autem, vt ſtudioſiùs in opus ſuum incumbant; iuſiurandum faciant in manibus noſtris, ea forma verborum, quam in fine Synodi apponemus pro Punctatoris officio. — *De Punctatoribus.* — *Iuramētū eorum.*

§ 8 Mandamus quoque, vt quàmprimùm cōficiantur Conſtitutiones peculiares Capituli, ac Regulæ pro ſingulis officijs. Inſuper conficiatur quamprimùm Inuentarium Bonorum omnium, pertinentium ad Capitulum, iuxta peculiarem editam Inſtructionem. — *Conſtitutiones capitulares.*

§ 9 Qui Prębendam Theologalem obtinet in noſtra Cathedrali, ſingulis hebdomadis, pro ſuo munere habeat lectionem. Et quidem Quæſtiones de Conſcientia præſcribimus pro materia, Seminarium pro loco, & feriam quintam pro die. Vacare tamen poterit Menſe Iulio, Auguſto, ac Septembri. Porrò ſi abſque legitimo impedimento (à Nobis tamen probando) munus legendi per ſe exequi prætermiſerit; remedijs Concilij Tridentini in eum vtemur. Ad Nos autem ſpectabit pro opportunitate locum, tempus, ac materiam mutare. — *De Prębēda Theologali.* — *C. quia nōnullis de Magiſtris, &c. Conc. Trid. ſeſſ. 5. c. 1. Reform.*

§ 10 Et

De Pœnitentiario.

§ 10 Et qui Pænitentiarij munus habet in noſtra Cathedrali : teneatur, in ſua Confeſſionali ſede, quoad opus fuerit, permanere, tempore Ieiuniorum, Quadrageſimæ ſcilicet, Aduentus Vigiliarum, & Quatuor per annum temporum, itèm diebus feſtis omnibus : & demum quoties ſolent frequentius accedere fideles ad Confeſſiones. Ita enim fiet, vt & Tridentini Sanctio cuſtodiatur, & Animarum, Nobis ſubiectarum, efficacius ſaluti proſpiciatur. Alioquin eiuſdem Concilij remedijs in Pęnitentiarium animaduertemus.

Cõc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 8. de Reform.

CAP. XI.

DE SEMINARIO CLERICORVM.

Obſeruanda noua Inſtitutio.

§ 1 CLericorum inſtitutio, cum Nobis ſummæ curæ ſit; vtpote ex qua eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtauratio; atque ad ſupremum Sacerdotij gradum dignior Miniſtrorum euectio, potiſſimum pendent : vt in noſtro Seminario; ad Tridentini præſcriptum erecto; vtì ſperamus, eueniat; mandamus, vt Inſtructio, ſeù forma, quam pro Regimine illius confecimus,

Cõc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 18. de Reform.

fecimus; maximo omnium ſtudio teneatur.

§ 2 Quindecim Clericos alumnos, gratis educandos, hactenus Seminarium complexum eſt: videlicet duodecim ex decreto præcedentis Synodi; tres verò ex concordia inita à prædeceſſore noſtro Marſilio bon. mem. Archiepiſcopo Perutio; atque ab Abbate S. Ioannis in Venere, oriundos ex caſtris Roccę Sancti Ioannis, Sancti Viti, & Foſſe cęcæ. At quoniam exereuerunt iam (quod quidem ſperabamus) diligentia Rectoris, annui redditus, vt exereſcat quoq; Alumnorum numerus, volumus, quare decernimus, vt alios tres in poſterum huiuſmodi clericos Seminarium complectatur. — Numerus admittendorum. *Patres Oratorij de Vrbe.*

§ 3 Verùm non niſi Clerici Diæceſani admittantur, ijq; non niſi pauperum filij. Dent autem, antequam admittantur cautionem idoneam, de reſtituendis Seminario expenſis, computata ratione viginti quatuor ducatorum pro ſingulis annis; ſi fortè acciderit, vt ab Eccleſiaſtico ſtatu ad laicalem vitam ſe conuertant. Ditiorum item filij non excluduntur, modo ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præſeferant, Deo, & Eccleſiæ inſeruiendi. — Quales, & quę cautiones admittendi.

§ 4 Porrò vt huiuſmodi Adoleſcentes, & Sacramenta frequenter, & diuinis Officijs inter- — De Sacramentorum

frequentia & chori adſiſtentia.

ſint: ſub Veſperas cuiuſq; Sabbathi, dimidia eorum pars viciſſim, ad Confeſſionis Sacramentum accedat, & mane ſequenti ad Sacramentũ Communionis; quo tempore altera pars, horis canonicis interſit. Verùm hæc tempeſtiuè fiant; vt præſentes omnes poſtea eſſe poſſint ſolemni Sacrificio Miſſæ atq; eidem poſſint ij inſeruire, qui per vices á Rectore, vel ſubſtituto fuerint deputati.

De Spiritualibus Exercitijs.

§ 5 Oratio, Examen Conſcientiæ, & reliquæ Animi exarcitationes ſtatutis horis nunquam intermittantur. Integrum verò erit Rectori (ſed ipſi dumtaxat) cum aliquo, neceſſitate vrgente, diſpenſare.

Claſſes.

§ 6 Tres in claſſes diuidentur, prima erit Grãmatices: altera Humaniorum litterarum: Tertia Caſuum Conſcientiæ. Quorum lectio bis in die, ſicut nunc fit, ſemper habeatur. Eligendi ex omnibus ſunt peritiores, ac magis verſati, qui ſingulis diebus, ſtatuta hora, repetitionem rerum auditarum habeant ad reliquos. Iidem negligentiores notent, & ad Rectorem deferant: qui quandoque per ſeſe inueſtigando, ac percunctando, periculum faciat cuiuſque Clerici profectus in litteris. Addiſcant quoq; canere, ſaltem cantu, quem vocant firmum, ſeù planum: quam-

Repetitiones.

Cantus.

quaobrem Magiſtri copia (vt fit) ſemper præbeatur. Semel in hebdoma habeatur ad eoſdem lectio, vel Collatio Sacrarum Cęremoniarum, ac Rituum; vt hac ratione perfecti Eccleſiæ Miniſtri euadere poſſint. Lectio de Sacris ritibus.

§ 7 Porrò quoniam vnio quorundam Beneficiorum ſimplicium, olim à prædeceſſore noſtro Paulo bon. mem. Archiepiſcopo Toloſa, peracta; nullum hactenus ſortita eſt effectum; ideò ex fructibus Beneficiorum omnium partem, ſeù portionem conſtitutam, aſſignationem annuorum ducatorum quinquaginta ex fructibus noſtræ menſę Archiepiſcopalis, confirmamus; mandantes, vt beneficia non taxata, iam taxentur, & ad ſuam ratam perſoluendam quiſque cogatur. In præſenti autem eidem Seminario, cum conſilio Capituli, denuò Beneficia hęc ſimplicia vnimus. Beneficia vnita. *Ex Trid. vbi ſupra*

1 Beneficium S. Euſatij de Vallibus in Terra Caramanici. valoris.

2 Beneficium S. Stefani, & S. Laurentij Ripæ Tetis, cùm annexis. valoris

3 Beneficium S. Marię della Spogna, in Terra Montazzoli, cùm annexis. valoris ducat. 70.

CAP. XII.

DE CLERICIS CONIVGATIS, SYLVATICIS, OBLATIS, ET HOSPITALARIIS.

Clerici cõiugati. Bonifac. Pap. VIII.

§ 1 VT iuxta Pontificum Decreta, Clerici coniugati, ideſt, qui cum vnica, ac virgine matrimonio coniuncti ſunt, liberè gaudere ſinantur Priuilegio cùm fori, tùm Canonis; Tonſuram, & Clericalem habitum geſtare teneantur. Tenentur quoq alicui Eccleſię inſeruire. Quare intra duos menſes, ab huius Synodi promulgatione, fidem miniſterij prętiti, exhibeant: Alioquin videbimus, an priuandi ſint omni planè priuilegio.

Clerici Syluatici. Sacr. Congreg. ſuper negot. Regn. Neap. 10. Iulij. 1623

§ 2 Clerici Syluatici, qui in Diœceſi hac ſolent Maraglierij, Hoſpitalarij, & Sacriſtę appellari, cùm, & ipſi priuilegio fori quoad perſonalia munera, in criminalibus quidem omninò, in Ciuilibus autem quoad diſtinctionem perſonę gaudeant, ſi alicuius quidem Eccleſię ſeruitio fuerint adſcripti, nec plures, quàm peculiari ſuo decreto Sacra Congregatio ſanciuit; mandamus Rectoribus Eccleſiarum, vt ſi quem ex huiuſ-

modi

modi Clericis, in deputatæ Eccleſiæ miniſterium non incumbentem animaduertant; vel habitum non geſtantem, (quem tamen habitum breuiorem volumus eſſe, quàm quo vti reliqui Clerici ſoleant) deferant ad nos ſtatim, vt quid facto opus ſit, videamus.

§ 3 Oblati priuilegio, atque exemptione gaudere tùm demum cenſeantur; cum ſe ipſos, bonaq; ſua vniuerſa, cùm præſentia, tùm futura; nulla eorum parte, ſeù portione ſibi reſeruata in proprietatem, aut in vſumfructum; Religioni, in forma iuris valida, in perpetuum, atque irreuocabiliter, & planè, ſeu cum effectu obtulerint, & habitum aliqualiter mutauerint. His enim omnibus peractis, priuilegio fori, atque Immunitate á Secularibus exactionibus gaudeant. Oblati. *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 11. Refor.*

CAP. XIII.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM IN GENERE.

§ 1 AD vitam Clericorum in genere, rectè inſtituendam, ac componendam, Dignitas Clericalis.

pertinet

D. Hieronym. Epiſt ad Neapotian. cap. Cleros, & Clericos diſt. 21.

pertinet in primis, præ oculis habere; ipſos eſſe, qui in ſortem Domini vocati ſunt, ac conſtituti in populo prę omnibus; Miniſtri Myſteriorum Dei. Hinc enim ſtatim colligitur, quam ipſi vitæ honeſtatem prę ſeferre, quoſq; mores induere teneantur: videlicèt eos, qui verè decent Viros, in diuinis Ordinum gradibus conſtitutos.

De veſtitu C. Clerici de vit. & honeſt. Cleric. & 21 q. 4.

§ 2 Veſtitus omnis, ſiue interior, ſiue exterior modeſtiam vſquequaq; præſeferat. Manicarum color ſit idem, qui, & totius veſtis exterioris, nempè niger. Color verò Tibialium ſit aut niger, aut roſaceus, aut violaceus. Calcei ne ſint ex corio apertè albo; nec punctim inciſo, & hęc quidem decernuntur ſub pœna vnius Aurei. Torques, aut quid ſimile, vel noduli aurei, etiam in interiori veſtitu, nullo modo geſtentur, ſub pęna amiſſionis illorum. Veſtis autem Clericalis ſit planè talaris. (quáquá equitantes poterunt breuiore vti veſte, ſed ſanè non niſi nigri coloris.) Eam verò cinctu planè honeſto ſemper cingant; prę ſertim cùm Eccleſias adeunt. Beneficiatus, qui clericalem habitum non geſtauerit, beneficio, iuxta Pontificum Sanctiones, priuatur. Quam pœnam exequutioni mandandam curabimus, etiamſi in fragranti non fuerit repertus.

Cap. non liceat d. 23.

Sixtus V.

§ 3 Cle-

§ 3 Clericalem Tonſuram, ſeù coronam capillorum deferat quiſq; conſpicuam: maiorem tamen geſtet conſtitutus in Sacris, quàm conſtitutus in minoribus: & rurſus maiorem Sacerdos, quàm Diaconus, &c. Circa comam vero, ac Barbam, Sacrorum Canonum diſpoſitio ſeruetur. Porrò Sacerdotes aduertant, vt in ſuperioris oris ſui labro pili ſint ita reſecti; vt nullo modo in Miſſæ Sacrificio, dum Calix ebibitur, poſſint in Sacras ſpecies intingi. De Tonſura. *Cap. probi re. & cap. Clerici. & cap. ſi quis. & cap. nõ liceat. diſt. 23. C. Cleric. de vit. & honeſt. Cleric.*

§ 4 Domi ſuę Clerici ne retineant Mulieres: excipiuntur Aſcendentes, Sorores, & Fratris Vxor, Filiaq; Cui autem opus erit, aliquam in ſui famulatum adſciſcere: Illa debet quadragenaria minimùm eſſe; & quæ ſine labe duxerit vitam; atq; adeò nullam pręſeferat mali ſuſpicionem, & tandem à Nobis, aut Vicario noſtro Generali obtineri in ſcriptis licentia debet: ſub pœna Carceris, omninó infligenda. De cohabitatione mulierum. *Cap. interdixit. & ſequ. diſt. 33.*

§ 5 Alearum ludos, ac Taxillorum omnes euitent; nec Spectatores illorũ ſe præbeant; & innouamus quoad hoc pœnas, in præcedenti Synodo irrogatas. De ludis vitandis. *C. Clerici offic de vit & honeſt. Cleric.*

§ 6 Perſonati nunquam Clerici incedant. Nec choreis interſint, multoq; minus ipſi ſaltent. A Venationibus, in quibus apparatus armorum, De laruis choreis cõ medijs, & venationibus vitan-

& clamores

dis.

Cap. cũ decorẽ de vita, & bon. Cle. et cap. nõ oportet. de cõſ. diſt. 5. extra de vit. & hon cler. cap. prerl. d. 35

& clamores adhibentur, abſtineant. Abſtineant ſimiliter à Comędijs, etiam quæ priuatim aguntur: nullo autem prorſus pacto Actores ipſi accedant, fidibuſuè canant. Hæc itaque interdicta ſibi intelligant Clerici, & præter cæteros ij, qui gerunt curam Animarum. Alioquin grauitèr iudicio noſtro, quicunque illi ſint, mulctabuntur.

Ne noctu diſcurrãt C. ſint. ornatu. 21. q. 4.

§ 7 A prima hora noctis domi ſe contineant, nec foris vagentur. At ſi fuerint foras ire neceſſitate compulſi, lumen adhibeant, & Clericalem habitum geſtent.

De conſuetudine facinoroſorũ hominum fugieuda. Pęna ſuſpen. ipſo facto.

§ 8 Clerici, qui cum proſcriptis, quos dicimus Bannitos, foroiudicatos, aut cum Aſſaſſinis, & Graſſatoribus viatum conſuetudinem habuerint, ſeq; illis ductores exhibuerint, aut auxilium præſtiterint; in Suſpenſionem latæ ſententiæ incurrant, & graui pœna Carceris, Triremium, &c. punientur.

De armis nec habendis, nec deferęndis. C. Clerici. de vit. & honeſt. Cleric. & 23. q. 8.

§ 9 Arma nullius vnquam generis Clerici deferant, neque ad offenſionem, neque ad defenſionem, ſub pœna decem aureorum, atque alijs etiam noſtro arbitrio. Genus namque Armorum, quod ad Clericos ſpectat, ſunt Orationes Ieiunium, & virtutum omnium exercitationes: non autem ferrea inſttrumenta mortis. Ea verò

Arma,

Arma, quæ à Sęculari poteſtate ſunt ſpecialiter prohibita: veluti ſclopetum illud paruum, quod dicunt Piſtolam; & cultrum, quem appellant Stilettum: interdicta ſint Clericis ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, etiam ſi domi tantùm retineantur: ſi autem geſtata ab illis ea fuerint, hoc ipſo præter alias grauiores noſtro arbitratui pœnas Satellitibus noſtræ Curiæ acquiſita eſſe cenſeantur.

Pæna excomunicationis latę sẽteutiæ.

§ 10 Nemo abdicarę ſe Clericatu poterit, niſi facta à Nobis, aut Vicario Generali ad id poteſtate: alioquin nullo poſt tempore eorum Clericalis ſtatus, ac priuilegium redintegrabitur.

Ratio abdicandi ſe Clericatu.

§ 11 Sæcularia negotia à Clericali vita longè ſanè abhorrent. Præcipimus itaq; vt nemo ſe illis implicet; Atq; adeo vt nemo coram Laico Iudice Aduocatum, aut Procuratorem agat: niſi certè id eſſet pro ſui, ſuorumuè Bonorum defenſione, vel pro defenſione Eccleſiæ, vel propinquorum vſq; ad quartum gradum, vel miſerabilium perſonarum: & quidem gratis. Nemo item eidem ſe ſiſtat, nec tanquam teſtis ad teſtimonium ferendum, nec tanquam Actor ad cauſam vllam agendam, præſertim criminalem. Verùm ſi aliquid horum agendum erit; obtineatur à Nobis, aut Vicario Generali licentia in

De negotijs ad curiam ſecularem ſpectantibus vitandis. *C. ex litt. de Vit. & boneſt. Cler. & fere tot. tit. ne Cler. vel Mon &c. Et tota diſt. 88 & 21 q 3.* Sacr. Cõg. *19. Iuly 1619. ad*

epi. Placēt. Sac. Cong. pro Epiſc. Ciuit. Caſtelli. 14. Apr. 1615.

ſcriptis: qua pro teſtimonio ferendo non dabitur, niſi in cauſis ciuilibus, & iuramento de vero dicendo, non in alterius manibus, quám eiuſdem Vicarij Generalis, facto.

De nogotiationibus nō gerendis.

Ex reſcrip. ſacræ Cōg. 15. Nou. 1616. ad Nuntium Neap. pro Epiſ. Teletin. & pro Clero pali Baren.

§ 12 Negotiationes agere, Clerici prohibentur: propterea aliena prædia ne conducant niſi fortè Eccleſiarum illa ſint, & ea quidem non per ſe, ſed per alios excolenda. Nihil autem obſtabit, quominus quædam aliena arua, ſeù paſcua conducant, in quibus ſua animalia paſcant; aut conducant aliena armenta, emantùe, quo terras poſſint ſuas reddere pinguiores.

De tutelis, obligationibus, &c. nō ſuſcipiendis.

§ 13 Nullius procurationem tutelamuè gerendam ſuſcipiant: neq; vllum obligationis, aut fideiuſſionis vinculum, abſq; noſtra in ſcriptis licentia: & ſi ſecùs attentatum fuerit, Actus qui fiunt, ſint illico irriti; & alijs ipſi arbitratu noſtro pœnis ſubijciantur.

De decoro ſeruando.

§ 14 Dominorum temporalium Negotia adminiſtranda, domus procurationem; Ratiocinij curam, eorumq; dominorum canes domi ſuę paſcendo, nullo pacto ſuſcipiant Clerici neq; equitantes illos, ipſi pedites, ſeruorum more, ſequantur. Quoniam meminiſſe debet quiſq; è Clero, ſe peculiariter in ſortem, atq; hęreditatem Domini vocatum eſſe; & gratia, dignitate, ac con-

ac conſecratione cœteros omnes antecellere. Quare ſtudeant, ne quid contra conditionem Eccleſiaſtici ſtatus, per ignauiam admittatur, cùm in rebus prædictis, tùm in reliquis omnibus congreſſibus, ac conuerſationibus: in quibus nihil pati debebunt, quod ſi contra decorem, ac reuerentiam, ſacro ſuo ſtatui debitam: atq; adeò ſi non perinde, ac decet, ſe haberi viderint: omnino è conuerſatione, petita modeſtè venia, diſcedant. Hanc etiam ob cauſam caueant; nè frequenter menſis Laicorum diſcumbant, exceptis domeſticis. Ipſi autem benedicant cibos, & poſt menſam agant Deo gratias. Porrò cum plures Clerici occaſione ſolemnitatis, aut funeris, aliquo conueniunt, & ſimul diſcumbunt dignior menſam benedicat, cui ſacra lectio adhibeatur. Porrò contenti ſint frugali menſa; Temperantiam in omnibus rebus, modeſtiamq; ſeruantes: nec Laicum vllum hominem admittant, nisi fortè quem dignum omnino, atq; laudabilem nouerint. *Cap. Nullus, & ſequ. diſt. 44*

De Superpelliceo, & Bireto.

§ 15 Superpelliceo vtantur, non lacero, nec ſordido: neque eo induti officinas Opificum adeant, aut ſtent animi gratia, ad Eccleſiarum fores. Quiſq; etiam ſuum Clericalem pileum habeat.

De officio recitando, & Miſſis celebrãdis. *In Cõc. lateranẽ ſub Leone X. & in conſtit. Pij V.*

§ 16 Quilibet conſtitutus in ſacris horas canonicas attentè, & deuotè recitet quotidiè: ſimiliter beneficiati omnes. Hi autem si illas omittant, priuandi ſunt beneficijs, vt ſacris ſanctionibus cautum eſt.

De ſciẽtia cõparãda. *Ex Cõcil. Tolet. & refert. diſtinct. 38.*

§ 17 Quoniam Clericalis ſtatus, præter probitatem morum requirit, vel maximè ſapientiam, & doctrinam; cum ex illius defectu maiora populorum damna naſcantur; atq; adeò Chriſti Eccleſia, vtpote cœleſtis columba lamentabiliores gemitus fundat: quantum poſſumus omnes hortamur, præſertim Iuniores Clericos, vt vel huc Teate, vel aliò, vbi publicè latinæ linguę, & ſcientiarum Scolę habentur, per aliquot Annos conueniant: vel vbiuis poterunt; ſufficientem Doctrinam, pręſertim Caſuum Conſcientię comparent. Mandamus pręterea, vt omnes etiam in minoribus conſtituti, apud ſe habeant Concilium Tridentinum, Catechiſmum Romanum, Doctrinam maiorem Cardinalis Bellarmini, & hanc noſtram Synodum. At conſtituti in ſacris, habeant quoq; Summam Cardinalis Toleti; ſub pœna vnius Aurei, ſtatim locis pijs in Viſitatione adſcribendi. Parochi deniq; habeant pręterea, concionibus accomodatum librum: hoc eſt expoſitorem ali-

quem

quem Scripturarum, Homiliarũm, &c. deberent item Paſtorale Sancti Gregorij, & libros Sancti Ioannis Chryſoſtomi de Sacerdotio ſępè euoluere: alioſq; id genus libros. Nam noxios libros; quibus inania, Amores, obſcęnitates, ſcurrilia, & huiuſmodi alia continentur; deteſtari, ac vitare tenentur. Quare nec illos legant, nec domi habeant: quemadmodum nec retinere domi (ſub pœnis Nobis arbitrarijs) debebunt tabulas, atq; Imagines, quę turpitudinem aliquam, atq; obſcęnitatem repręſentent. Iam verò ſi quam talem habent, vel igni corrigendam tradant, vel ad omnem honeſtatem ſtatim reformandam curent. Studeant autem pias tantùm Imegines, ac Sacras habere. *Ex Cõcil. Carthag. IV. & refertur, diſtinct. 37.* Quales itẽ Imagines.

§ 18 Annulos non ferant Clerici; niſi quibus competit ex officio dignitatis. Qui tamen ipſi deponere illos tenentur, cùm Miſſas celebrant, niſi ſuffragentur priuilegia Pontificis. De Annulis. *C. Clerici. de vita, & honeſt. Clericis.*

§ 19 Dum Concio habetur, Clerici omnes tùm in minoribus, tùm in maioribus ordinibus conſtituti, illiuſq; ſeruitio Eccleſię adſcripti, tenentur concioni adeſſe. Si autem in ea Eccleſia, cui adſcripti ſunt, non habeatur Concio; adeant ſaltem Cathedralem, ſeù Matricem. Omnes de Clero Cõcioni, dum habetur, interſint.

CAP. XIV.

DE LIBERTATE ECCLESIASTICA.

Libertas tuenda. *Lib. 1. Eſdra.*

§ 1 LIbertas atq; exēptio; quam olim fuiſſe miniſtris antiquæ legis conceſsā, ſcriptura docet: quoniā potiori iure, Dignitati miniſtrorum nouæ legis cōgruit, meritò videmus illam vtroq; Iure ſancitam. Nos autem animaduertentes, noſtrum iam eſſe, illam omni ope tueri; tùm quatenus pertinet ad Perſonas Eccleſiaſticas, tùm etiam quatenus pertinet ad res, ſeù Bona Eccleſiarum, Clericorum, vel aliter quomodolibet exempta; propterea nullo pacto noſtros Clericos, ex vna parte, fraudes committere, & ex altera libertatem Eccleſiæ, à quolibet violari, aut perturbari, patiemur.

De colluſione Onerum, gabellarum &c.

§ 2 Quare caueant Magiſtratus, Moderatoreſq; Vniuerſitatum, ne in imponendis Gabellis, ita colludant, vt indirectè, ac re ipſa bonis Clericorum grauamina, & onera inferant. Nam quoque modo grauantes oneribus, Eccleſiarum, & Clericorum bona, memores eſſe debent anathematis Bullæ Cænæ Domini.

Ne vexentur conſāguinei.

§ 3 Eiuſdem anathematis meminerint ij, qui

in ci-

in ciuilibus taxationibus, quæ vel in capita, vel pro bonis fiunt, hac arte vtuntur, vt maiori onere grauent Parentes, & Conſanguineos Clericorum, qui communem cum eis domum, domeſticumq; conuictum habent; quám alioqui grauarent, ſi Laici non propinquos Clericos, vel nõ conuiuentes haberent: hęc enim eſt exquiſita quædam forma, licet indirecta, ipſos Clericos vexandi.

§ 4 Similiter Cẽſuræ huius meminiſſe debent Temporales Domini, qui prohibere præſumunt, ne quis Eccleſiarum, Clericorumq; Terras colat, Animantium curam gerat, Molendinis vtatur, & ſeruitutem perſonalem, aut realem Eccleſijs exhibeat, & quamuis id explicitè non prohibeant; tamen æquiualenter omninò præcipiunt, vt Baronaliæ tantùm colat, aut diuerſis vexationum generibus, ſiuè animantia prædando, ſiuè alia via moleſtiam, timoremque incutiendo, ſibi ſubiectos ita terrent, vt ij propterea Eccleſiaſtica bona conducere, colere, cuſtodire, &c. nolint. De impedientibus colonos, &c. *C. eos, qui de Immunit. in 6.*

§ 5 Eos quoq; Cenſurarum memores eſſe cupimus, qui aut bona, cenſus, reditus, emolumenta, &c. Eccleſiarum aut amotis terminis, partem aliquam prædiorum Eccleſiæ vſurpant, De occupatoribus bonorum Eccleſiæ.

& oc-

& occupant, & ad harũ rerum reſtitutionem, vna cum fructibus perceptis deueniendum omninò eſt, ſi à Pontifice abſolutionem ſperare velint.

De damno illato ab animalibus Clericorum. Ex reſcri. Sac. Cõgr. 10. Iun. 1586. ad Vicar. Hidrũt. & 28 Nou. 1594 ad Epi. Corint.

§ 6 Cùm Animantia, quæ Eccleſiarum, aut Clericorum ſunt, damnum aliquod alienis prædijs intuliſſe contigerit; ad eccleſiaſticum Iudicem cauſa eſt deferenda; vt ad damnum reficiendum illos cogat: quod certè hic ſtatim fiet: At qui ad laicale forum Clericos pro ſuis bonis traxerit, excõmunicationis ſententiam incurret.

Cauſa 11. De domibus Clericorum.

§ 7 Clericorum domus, vtroque iure, pontificio ſcilicet, ac Cæſareo, immunes ſunt, ac liberè à ſtrepitu, atque onere ſeruitutis laicalis. Atq; adeo Nemini licet, ad eorum domos milites deſtinare, vt recipiantur hoſpitio: etiamſi cum Clericis viuant, & habitent quoq; laici: ſiquidem tunc laici ad contribuendum tantùm teneatur; & certè non niſi pro ſua rata, non verò maiori. Fas enim non eſt, laicos cauſa Clericorum maiori, quam aliàs, onere premi; nec Clericos cauſa laicorum habere moleſtiam.

De ijs, qui impediunt accedẽtes ad noſtrã curiam.

§ 8 Aduocati, Procuratores, cetærique Cauſidici, &c. qui conſilium, auxilium, fauorem dant, aut Partes, etiam indirectè, terrent quo minus in caſibus à iure permiſſis, in noſtra Curia com-

compareant, in eaq; cauſas tueantur, aut agant: excomunicationis ſententia, tanquam Eccleſiaſticæ libertatis violatores, innodantur.

§ 9 Nec diſſimili ſententia afficiuntur Satellites, qui ſiuè interdiù, ſiue noctu, Clericos capiunt, & ad ſecularem Iudicem deferunt. De capiẽtibus Clericum.

§ 10 Aliquando Parochi excommunicationes has in Anno ſignificent populo; ſimul cum illa, quæ continetur cap. Si quis ſuadente Diabolo, contra percuſſores Clericorum: tum vt ex hac diſcant, cuiuſnam vitanda ſit communicatio, etiam abſq; alia declaratione Iudicis: tum vt ex illis, ab indicatis criminibus terreantur. Excomuni cationes explicãdæ Populo. C. *ſi quis Suad*. 17. *q*. 4.

§ 11 Poſtremo hic mandamus, vt nullo pacto poſthac à noſtra Curia expediantur Commiſſarij in cauſis ciuilibus contra Clericos; ſiquidem poterunt alia, non minus efficaci via cogi. Non expediendi Cõmiſſarij in ciuilibus contra Clericos.

CAP. XV.

DE VICARIIS FORANEIS.

Amplitudo Diœceſis.

§ 1 PErdifficile eſt vnicum noſtrum Vicarium Generalem, in cauſarum, negotiorumq; omnium (quæ ad vniuerſam hanc Diœceſim pertinent) cognitionem opportunam venire: cum hæc quidem Diœceſis in eam dilatetur amplitudinem, vt quinquaginta ferè paſſuum millibus contineatur, centumq; vel pagos, vel oppida numeret. Hinc meritò factum eſt, vt in quindecim Regiones diuideretur; & vnicuiq; vnus aliquis præficeretur, tanquam Vicarij Generalis coadiutor: & Vicarius proinde ipſe, Foraneus, ſeù Diœceſanus appellaretur.

Diuiſio Vicariorum foraneorũ

Quales deligendi.

§ 2 Horum autem munus, minimè quidem leuis momenti eſt, ſed graue admodum pondus habet, ac multiplex. Quare tales eſſe debent ij, quibus hæc Prouincia demandatur; qui dignè cæteris præeſſe poſſint; & exemplo vitæ, ac diligentia miniſterij omnibus anteire. Itaque antecellant oportet, pietate morum, ſcientia, atque Eccleſiaſtica eruditione, obedientia, rerumque ſacrarum ſtudio, deniq; exercitatio-

ne

ne Virtutum.

§ 3 Bis in anno totam ſuam Regionem obę-ant; Eccleſias omnes luſtrent, Matrices quidem primùm, deinde alias, etiam eas, quæ ſitę ſunt extra loci muros: Adnotent ea, quæ deſunt, quęuè corrigenda viderint. Obſeruent mores Eccleſiaſticorum, an aliquid ſcandali prębe-ant, an vacent litteris, an geſtent habitum, ac tonſuram. Capiant Informationem contra eos, qui vitam, quę Clericos deceat, non vi-uunt: & informationem ad Nos mittant. Ex-cipiant rationem ſtatus Animarum: videantq; & perlegant libros, ad hanc rem confectos, iuxta pręſcriptum huius Synodi. Videant, an Do-minicis diebus Doctrina Chriſtiana tradatur. An Confeſſionalia ſint ad præſcriptam formam confecta. An Clerici omnes, etiam in ſacris, Eccleſijs ſuis inſeruiant; An Sacramenta fre-quentent. An Legata pia adimpleantur. An obligationibus Miſſarum ſatisfiat, & quoad hoc videant librum. An Parochi munus ſuum di-ligenter exerceant. An Beneficiati ſuas obli-gationes adimpleant. An donationes, quæ fiunt Clericis, ad Ordines maiores promouen-dis; ſint veræ, perpetuæ, irreuocabiles, nec o-nere aliquo grauatæ. Videant etiam, quinam

Præcipua eorum mu nera.

Paſchalem Communionem non ſuſceperint: qui ſint Concubinarij, aut publici criminoſi, aut inimicitias gerentes. An Regularis aliquis ſolus, & ſine litteris patentibus ſuorum Superiorum, illac vagetur; & Nos ſtatim moneant. An ſequens caput de Confraternitatum, aliorumq; locorum piorum adminiſtratoribus obſeruetur ad vnguem.

De Proceſſibus fabricandis.

§ 4 In formandis Proceſſibus criminalibus, ea fide, dexteritate, ac celeritate vti debent, quæ in re tanti momenti, par eſt requiri. Itaque caueant, ne priuato odio, aliòue humano affectu, vel etiam alicuius metu moueri ſe ſinant. formatos proceſſus, vbi primum poterunt (non vltra ſcilicet decem circiter dies) ad Nos mittant. Si quem autem ſecùs, abſq; legitima cauſa feciſſe, accipiemus; vel quod peius eſt, Proceſſum aliquem (in gratiam alicuius) occupaſſe, dignis arbitrio noſtro pœnis afficietur; vel tanquam indignus, officio quoque ipſo priuabitur.

Quando trāſmittāt.

De delegatione cauſarum.

§ 5 Cum ipſis cauſa aliqua delegabitur cognoſcenda, & ſententia ferenda; fines commiſſę poteſtatis nullo pacto prætereant: ſed quod demandabitur, id totum, & non vltra, ſtudeant adimplere. Sit autem eis poſt hac delega-

ta poteſtas, terminandi eas omnes cauſas, quæ non excedunt ſummam ducatorum quinque.

§ 6 Seorſum confici iuſſimus Inſtructionem, ac Regulas, tàm fabricandorum proceſſuum, quàm interrogandorum Teſtium, eorumque teſtificationum recipiendarum; tùm vt vitetur ſuggeſtio; tùm vt cuiuſuisdicti reddatur ratio; non autem ad finem totius diſcuſſionis, atque examinis illam reijciant, ad illa ſcilicet verba, quia vidit, interfuit, &c. Tùm vt concludatur de tempore, loco, & cau-ſa: tùm nè per eadem præmeditata verba excipiatur depoſitio. Tùm vt nominentur Conteſtes, tùm denique, vt ipſi Vicarij cauere poſſint, ne per imprudentiam Reos grauent. Seruanda Inſtitutio.

§ 7 Omni ſtudio nitantur, Acceptionem perſonarum euitare, officij integritatem cuſtodire: quare caueant, querelas, ab aliquo factas, non amplecti, vel non proſequi, vel ad Nos, aut Vicarium noſtrum generalem illas non deferre. Similiter pro nemine partes Aduocati ſuſcipiant. Atq; à Nemine munera, etiam ſponte oblata, recipiant. De Iuſtitia atq; integritate ſeruanda.

§ 8 Cum quis Animarum Rector, ex hac vita migrauerit; ad Vicarium foraneum ſpectabit, ſtatim ad illius ſe conferre Eccleſiam; tùm Quid cum moritur Curatus quiſpiam.

vt cu-

Iuxta gloſ. cap. manifeſta 12. q. 1. & cap. charitatē q 2. vt curam Animarum alicui Sacerdoti, ad Confeſſiones á Nobis approbato, interim demandet: tùm vt conficiat Inuentarium rerum ad Eccleſiam pertinentium.

Demandatur eis exactio redditum. § 9 Vicarij Foranei in ſuis Regionibus exigant redditus, ac prouentus, qui Nobis obueniunt, vna cum Synodatico, Cathedratico, & Seminario. Ipſis autem impeditis, alij Sacerdotes, & Clerici eiuſdem Regionis, ab eis poſſint ad id munus ſubſtitui.

De obſeruatione feſtorum. § 10 Quod attinet ad dierum feſtorum obſeruationem, & ad facultatem dandam quibuſdam neceſſarijs temporibus, vt vacetur operibus, & laboribus. Videant Vicarij foranei, & Parochi integrum caput de obſeruatione feſtorum, poſitum ſupra, quod eſt caput ſextum Seſſionis ſecundæ.

De obſeruatione huius Synodi. § 11 Iiſdem Vicarijs committimus executionem decretorum huius Synodi, quare curent, vt apud Populos ſibi ſubiectos in praxim omnia quamprimum perducantur. Contra Inobedientes diligentem informationem capiant. In Viſitatione hoc ſummo ſtudio perquirant, & proprijs oculis videant. Informationem ad noſtram Curiam mittant, & Nos de ijs rebus certiores faciant, quæ non reductę in praxim videa-

videantur.

§ 12 Vicarij foranei ſingulis menſibus (exceptis Decembri, Ianuario, Februario, ac Martio, ob dierum breuitatem, hyemiſq; aſperitatem: & Iulio ob Menſem, atque Octobri, ob Vindemias.) conuocent in vnum omnes Parochos ſuarum Regionum, ad cōferendum inter ſe de ijs rebus, quæ ad optimi Paſtoris officium pertinent. Diſſerant in huiuſmodi Congregationibus de maioribus, quas quiſq; in ſua experitur Parochia, difficultatibus: & conſilia exquirat ab alijs. Tùm perlegant aliquid huius noſtræ Synodi. Deinde ad tres, quatuorue caſus conſcientiæ, priori Congregatione propoſitos, reſpondeant. Poſtremò partem aliquam Rubricarum Miſſalis, ac Breuiarij percurrant. Præmittatur toti Actioni breuis aliqua oratio, ad impetrandam Spiritus Sancti gratiam; & ſequatur Gratiarum Actio. Huiuſmodi autem Congregatio non in vno, eodemq; loco ſemper habeatur, ſed modò in vna, modo in altera Parochia, per vices; vt ſic minori ſit ſingulis oneri, quam etiam ob cauſam volumus, vt ea occaſione nullo pacto immoderata prandia conficiantur: recipi quippe ab vnius loci Parocho, cæteri debebunt, frugaliori, ac planè ordinaria menſa.

De Cōgregationibus Parochorū, &c. cogendis,

C. nullus de conſecr. deſt. 5.

menſa. Miſſam eo die, quo habetur Congregatio, (quæ quidem nunquam diebus feſtis habenda erit,) nemo omittat, in propria Parochia celebrare.

§ 13 Denique mandamus, vbi loci Congregatio hæc indicitur celebranda; Sacerdotes omnes, ac Clerici, qui ibidem ſunt, ei interſint: vt hac ratione omnes in Eccleſiaſticam diſciplinam impenſius incumbant, & in dies proficiant. Quod ſi Regularis quiſpiam in eodem Oppido moretur, qui ad Eccleſiaſticas res explicandas aptior eſſet, poſſent eius ope, ac doctrina iuuari.

CAP. XVI.

DE CONFRATERNITATVM, ALIORVMQVE PIORVM LOCORVM ADMINISTRATORIBVS.

Cōc. Trid. ſeß. 22. cap. 8. de Reformat.

§ 1 QVoniam ex Sacrorum Canonum præſcripto, & Concilij Tridentini decretis, Ordinarij locorum, tanquam Apoſtolicæ

ſtolicæ Sedis delegati, conſtituuntur exequutores piarum diſpoſitionum, tàm vltima voluntate, quàm inter viuos factarum. Nos experientia edocti, ſæpe ſæpius Bona piorum locorum confūdi cum bonis proprijs Adminiſtratorum, qui longo temporis interuallo curam illorum habuerint, vel non ea fidelitate, quæ requiritur adminiſtrauerint; vt ſatis debito officij noſtri faciamus, præcipimus. *Cap. tua nobis. de Teſtam.*

§ 2 Primùm, vt Priores, ſeù Officiales, quocunque nomine appellentur, non niſi ad Annùm eligantur, & pro maiori quidem parte ſuffragiorum; quæ ſecreta omninò eſſe debebunt, calculis, fabiſuè albis, & nigris diſtincta, nec niſi immediatè per ſe ipſum ab vno quoque ferenda, non verò per ſubſtitutum, qua propter cùm electio facienda eſt, ij omnes conuenire debent, qui iure, aut conſuetudine debent, aut ſolent intereſſe. Alioquin electio alio modo facta, nulla, atque irrita fit ipſo facto. Electio tantum ad Annum. *Ita Sacra Congregatio 21. Maij 1616. ad Cardinal. Creſc. Epiſ. Reatim.*

§ 3 Officiales vnius anni, nequaquam ad alterum annum cofirmari poterunt, niſi poſt rationes adminiſtrationis redditas, conſtituerit, rectè ipſos, fideliterq; ſe geſſiſſe; atque adeò fuerint liberati: nam tùm demùm fiet à Nobis poteſtas (& quidem in ſcriptis,) vt confirmentur. An poſſint confirmari

 tur.

tur. Verùm ij, qui fuerint debitores declarati, quem admodum, & ij, inter quos, atque inter locum illum pium lis aliqua intercedit, Officiales nullo modo eligantur. Ac proinde electiones, aut Confirmationes aliter factæ, nullę, irritæq; ſint ipſo facto: & nulli, irritiq; proinde ſint Actus omnes, qui ab huiuſmodi fortaſsè confirmatis adminiſtratoribus fient.

De libro Magiſtro. *Iuxta Gloſ cap. manifeſta, 12. q. 1.*

§ 4 Vnaquæq; Confraternitas, Hoſpitale, Mons Pietatis, &c. & Officiales, quocunq; nomine vocentur, habeant præcipuum illum librum, quem Magiſtrum appellare ſolent. In eo namque deſcribi exactiſſimè debent ad inſtar Inuentarij, Bona omnia, & ſingula eius loci Pij videlicet bona ſtabilia, cum ſuis confinibus, Cenſus, Mobilia &c. Tum fiat ordinata quædam, & dilucida narratio omnium legatorum, Donationum, Contractuum, vna cum narratione onerum, Officiorum, Miſſarum, Elemoſynarum diſtribuendarum &c. Poſtremò fiat quoq; mentio omnium ſcripturarum, atq; Inſtrumentorum, quibus Iura, & poteſtates continentur, & firmantur.

De libro introitus, & Exitus.

§ 5 Habeant deinde alterum librum, in quē redigantur Rationes, ac Computationes redditæ ab vno quoque Procuratore, ſeù Adminiſtratore,

ſtratore; in eo autem libro appareant claré, & diſtinctè accepti expenſique rationes; vná cum liberationibus, aut condemnationibus adminiſtratorum illius Anni. Quo ſtatim agnoſcantur ij, à quibus quidpiam repoſci debeat.

